



71-2
2.a.7.2.

SEARCHED
SERIALS
INDEXED
FILED
A
M
1965




7-5-652

Del. Tot. de la Comj. de St. de Grande
R. 3104
Canticum Canticoru

SALOMONIS REGIS, CVM
COMMENTARIIS TRIVM RABBINO-
rum, Salomonis Iarhij, Abrahami Abben Ezræ,
& Innominati cuiusdã, G. Genebrardo Theo-
logo Parisiensi diuinarum & Hebraicarum li-
terarum professore régio interprete.

*Ad D. Carolum Lotharingum
Cardinalem & Principem.*

Quibus accesserunt Interpretis fusæ obseruationes è nostrorum
ferè Theologorum monumentis.



PARISIIS,

Apud Martinum Iuuenem, ad insigne Serpentis, via
S. Ioannis Lateranensis.

1570.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI
CARDINALI LOTHARINGO
Gilbertus Genebrardus.

VA auctoritate fretus, Princeps illustris-
sime, & Claudij Sanctij præceptoris mei,
Theologi tui, cōsilio vsus, quarto calendas
Septembris regiam cathedram conscendi,
meque studijs eorum, qui in Hebræicis & Theologicis
versari volent, planè deinceps consecraui. Faxit Deus
Opt. Max. ut voto atque expectationi tuæ & bono-
rum omnium satisfidem. Certè quem antea tuis nutibus
habebas addictissimum, partim quia nostrum Theolo-
gorum ordinem singulari favore prosequi nunquam de-
sinis, partim quòd publicis nominibus, omnes in eadem
Reip. nauis versantes, tuæ amplitudini sim^o obnoxij, nūc
dum me priuatim ornas hoc recenti munere, adeò arctè
constrinxisti, ut totum, tuo iure, tibi possis vendicare.
Deinceps igitur agnosce eum pro tuo, qui prius ducit
vita, quàm tui augusti nominis prædicatione cedere.
Vtinam meum cor tuis luminibus esset fenestratum:
intelligeres perfectò voluntatem & gratitudinem, a-
nimi mei viribus esse multò superiores, ac longissi-
mè ab eorum abesse ingenio, qui à te, ad summos etiam
honores, euecti, tuæ dignitatis, ut nihil dicam de Deo,
Religione, Rege, Patria, cum quorum causa tua om-
nino coniuncta est, primi proditores extiterunt. Quod
ut tabulis consignarem testatúmque facerem, apud eos
presertim, qui charitate tum Religionis tum Reip. te-
nentur,

nentur, Canticum Canticorū Salomonis, nostris, itemq; Hebræorum à nobis versorum cōmentarijs illustratum, in tuo nomine prodire iustis de causis volui. Primum cuiam melius Salomon nobilissimus & sapientissimus dicaretur, quàm Carolo Lotharingo, id est, Salomonis simillimo? Deinde hoc carmen tractat de arctissima Domini cum Ecclesia & Ecclesiæ viuis membris coniunctione, quam distrahere aut abscindere nulla calamitas, nullum infortunium, nullus euentus possit. Eius igitur nuncupatio tibi congruit, qui id unum moliris, id unum satagis, ne vlla impiorū coniuratio Ecclesiæ consensionē valeat perrumpere. Postremò, ut ut distinearis negotijs longè grauisissimis, quæ ad totius regni pondus pertineant, tamen quia res literaria decet principem, ac inter medias illas occupationes non dedignaris collegij nostri Regij clauem gerere, atq; is esse, cui uni rationem studiorum & actionum nostrarum Reges constare voluerint, hoc paruum opusculum tuæ celsitudini sanè consecrandum fuit, quò eius omnibus in hominum vsum perueniret, cuius potētia maximè, disciplina bonæq; artus cōtinentur, seseq; tuentur aduersus barbaros minantium Martis & Bellonæ impetus. Quod ut aternum possint Princeps & Cardinalis maxime, & tibi & patriæ charissimæ polliceor, me tuorum beneficiorū valdè memorem, Deum omnibus modis, locis, temporibus obsecraturum obtestaturūq; , ut te tuosq; bene fortunet, ac diuissimè regno nostro cōseruet. Vale & Dominum habeto presentissimū. Datū Lutetiæ Parisiorū octauo Calendas Iulij. 1570.

Antes



CANTICVM CANTICORVM.
CAP. I.



Anticum canticorū, quod est Salomonis.
2 Sponsa . b Osculetur me (sponsus) osculis oris sui. Quia meliores sunt amores tui vino.

3 Propter fragratiā vnguentorum tuorum suauium, vnguentum effulum a nomen tuum. Ideo adolescentulæ dilexerunt te.
4 Trahe me, post te e curremus. Introduxit me Rex in cellaria sua, exultabim⁹ & letabimur f in te. Memores erimus amorum tuorum super vinum. Rectitudines diligunt te.
5 g Nigra sum, sed formosa (ô) filiæ Hierusalē: sicut h tabernacula Cedarenorum, sicut pelles Salomonis.
6 Ne despiciatis me, quòd i fusca sim, quia l a- spexit me sol: filij matris meæ incanduerunt in me, posuerunt me custodem vineis suis. Vineam meam, quæ mea (erat) non custodiui.
7 Indica mihi ô quem l diligit anima mea, m vbi pascas, vbi cubare facias in meridie? Cur enim

a Quæ Salomonis.
b sermo sponsæ ad Deū sponsum.
c Ad odorem.
d Fama tua.
in Heb. est elegans paronomasia in וְעָרֹם
e Curtem⁹ ego cū adolescentulis, ecclesia cum fidelibus.
f Favore & familiaritate tua.
g sponsa ad filias Hierusalē.
h Tentoria.
i Subnigra.
l Deformauit, decolorauit.
l Allusio ad mādātū, diliges Dominum ex tota anima tua, & c.
m vel, quomodo.

n Diuertens, sim tanquam vagans post greges sodalium
relata. i. mere
trix.
o Latine va-
cat.

8 Sponsus. Si ignoras tibi, o pulcherrima in-
ter mulieres, egredere per vestigia ouium &

p Comparo te
equitati. Al-
luditur ad Sa-
lomonem, qui
educebat e-
quos ex Aegy-
pto 1. 10. argē-
teis, 2. Par. 1.
q cū punctis
sive notis ar-
genteis.
r In accuba-
tione epulari,
gal. table ron-
de.
s pernoctabit.
t Bacca ignoti
fruticis.

9 p Equæ in curribus Pharaonis asimilauit te, o
amica mea.

10 Pulchræ sunt genæ tuæ murænulis, collum
tuum monilibus.

11 Murænulas aureas faciemus tibi, & vermicu-
latis argento.

12 Sponsa. interea dum Rex in accubitu suo,
nardus mea dedit odorem suum.

13 Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter
vbera mea s commorabitur.

14 Botrus cypri dilectus meus mihi, (qui nas-
citur) in vineis hen gadi.

15 Sponsus. Ecce tu pulchra es amica mea, ecce
tu pulchra. Oculi tui columbini.

16 Sponsa. Ecce tu pulcher dilecte mi, atq; sua-
uis, lectulus etiam noster & floridus.

17 Trabes domorum nostrarum cedrinæ, la-
quearia nostra cupressina.

Interpretis obseruationes.

Canticum canticorum, ut pulchrè scribit Origenes,
est nuptiale carmen castos exprimens amores, iucundisq;
complexus animorum, concordiam morum, & affectuum,
cōsentaneamque spirans ad alterutrum charitatem, qua
sponsa

sponsa fidelis ad perfectam ætatem & ad annos nubiles
iam peruenit, annos dico bonorum operum, non temporū,
ut ad celestis sponsi complexus idonea iudicetur. Nec
est strepitus oris, sed iubilus cordis, non sonus labiorum,
sed motus gaudiorum, concordia voluntatum, non con-
sonantia vocum. Conscriptum autem est in morem pa-
storalis eglogæ & amatorij dramatis, ac in eo omnia
ferè sunt bucolica. Varias loquentes, præsentisve per-
sonas habere fingitur, Christum sponsi nomine, Eccle-
siam sponsæ titulo, Sponsæ sororculam, Socias & So-
dales Sponsæ, quæ appellantur filia Hierusalem, Ami-
cos sponsi, qui respondent Choris Euripidis & Ari-
stophanis. Dubium autem est, quam ex sensu literæ
hæc puella sit, quam Salomon loquentem facit. Nonnulli
existimant esse filiam Pharaonis ægyptiam, alij ex ca-
pite 7. Ierosolymitanâ quandam. i. Sullamith, à Salem,
quæ tandem Hierosolyma. Ego credideri, cum hæc scri-
beret Salomon, multo altius spectasse, ac nullius puellæ
externæ respectu, Sponsæ parabolam more suo atq; stylo
usurpasse. Insignis enim erat parabolis, ut historia li-
bri Regum indicat. Et sanè hunc stylum seruat in Pro-
uerbiis & Ecclesiaste, quod & multis exemplis He-
braï docent in Midras. Hanc autem parabolam inter cate-
ras delegit, primùm, quia amor cōiugum est arctissimus
& coniunctissim⁹, ac illa sæpe scriptura vititur, ut Es.
62. Ezech. 16. Os. 1. et 2. Deinde, quoniã legitima ma-
ris et femina cōiunctio præfigurabat Christi & Eccle-
sia copulationem, ut B. Paulus disseruit ad Ephesios, Sa-
cramentum enim hoc magnū est, in Christo inquam, &
Eccle-

5. Personæ hu-
ius dramatis.

3. Reg. 4.

Mat. 22.

2. Cor. 11.

Apo. 19.

Eph. 5.

Psal. 44.

Ecclesia. Christus siquidē sponſus est, ac ita se ipse vocat
Mat. 9. & 25. ut & discipulos sponſi amicos Ioh. 3.
Ecclesia autem sponsa, ut infra cap. 4. & 5. nominatur.

Nota.

Quod causam dedit Paulo & Dauidi, ut utriusq; in-
diuiduam cōiunctionem & tanquam desponsationem
elegāter celebrarent. Ecclesia quippè Christo copulatur
tam interiori cōsensu & voluntate, quā natura. Idem

Gen. 2.

enim uterque vult, & præterea ipse formam hominis
assumpsit, qua cum sponsa sua conueniret, eamque sibi
arctius naturæ similitudine deuinciret. Nam ut inter
coniuges coniugatio est secundum cōsensum animorum
& secundum commixtionem corporum, quorum ratio-
ne duo in carnem unam coalescere dicuntur, oſq; unius
feri ex alterius oſibus & caro ex carne: ita Ecclesie
Christus conciliatus sociatúsq; est spiritualiter & cor-
poraliter. Nempe dilectionis & naturæ necessitudine,
dum egrediens è sinu patris adhæsit uxori suæ, factús-
que est idem carne, cum Ecclesia, quam diligebat. Hæc
singularem unionem societatemque indiuiduam tropis
& figuris pastoralibus, hoc poëmate canit Salomon,
assumens idē idem amatoria bucolicorū versuum verba

De Ecclesiast.

Hierar. cap. 3.

De Genes. ad

lit. lib. 8. cap. 1

ut propterea eius librum, scitè Magnus Dionysius ap-
pellarit *Ἐκκλησιᾶς ἑρωτικῶν ἄσματων ἢ ἐκκλησιᾶς ἐρωτικῆς*, & Augu-
stinus scripserit, narrationem in his libris genus locutio-
nis figuratarum rerum esse, non gestarum, sicut in Re-

3. Modis Chri

stus & ecclā.

describuntur

in scrip.

gnorum libris & eiuscemodi cæteris. Duobus quidem
aliis modis huius unionis mysterium à diuinis scriptori-
bus pingitur, sub parabola, primùm, agricolæ & horti,
sive vineæ, deinde pastoris & gregis, sed hic omniū lon-

gè

gè accommodatissimus ob causas iam commemoratas.
Etsi enim Hebræi non passim iuuenes admittunt ad
lectionē trium tractatum .i. ad tria capita prima Ge-
neseos, ad principium & finem Ezechielis, ad hoc Can-
ticum, ad duo quidem prima propter obscuritatem, ad
istud verò propter periculum salacis titillationis in ijs,
in quibus affectus nondum deferbuerint: tamen quum
etiam profani, ut est apud Platonem in Symposio, du-
plicem Cupidinem fecerint, unum filium Iouis & Dio-
nes castum, alterum Iouis & Veneris impurum, non vi-
deo cur aliqui hinc in cogitationem turpium amorum
venire debeāt aut possint, cum præsertim nulli sint, tam
malè imbuti diuinis literis, ut illas nesciant castimoniæ
omnis magistras esse, & propterea si quæ impotētis ani-
mi speciem præ se ferant, ad spiritum esse transferēdas.
Scriptura enim figuratis locutionibus ad nostras dicen-
di formulas accommodatis, ut alia mysteria, ita & di-
uinos diuini amoris aculeos frequenter declarat. Quod
ut melius intelligatur notandum est in diuinis libris
triplex intelligentiæ genus obseruari. Primum, per quod
quædā accipiuntur historicè, propriâq; oratione seposi-
tis enigmaticis, vel allegoricis figuris, ut legis Decalo-
gus. Alterum, non tantum historiam fidemque rerum
gestarum, sed figuram etiam allegoricorū sensuum com-
plectitur. Huiusmodi est petra ex qua Moses latices e-
licuit, quæ iuxta historiam quidē cautis fuit, aquâsq; re-
vera euomuit, iuxta verò allegoriam Christi figurâ re-
eulit, qui cum sit lapis in fundamēto Sionis fundatus,
suauis spiritualis vitæ poculo, credentium mentes satiat.

Nota triplicē
modum intelli-
gendarū scrip-
turarum.

I. Cor. 10.

B Tertium

Tertium, quod tantum per allegoriam & secundum spiritum sumitur. Tale est Canticum canticorum & cetera parabola, in quibus nihil historicè accipitur, sed omnia ad spiritum perpetua quadam allegoria transferuntur. Quod autem nonnulli eleuant auctoritatè Ecclesiasticis, quia in eo non reperitur nomen tetragrammaton, huius verò quod ne Elohim quidem aut alterius nominis dei (sunt enim decem numero) mentionem faciat, id officere non debet, quoniã Salomon ab instituto suo nõ discedes, immoratur in proposita sponsi & sponsae parabola, & externis inhaeret internorum declarandorum causa. Alioqui dubium non est, quin sponsi nomine Deum aut Dei filium Christum Dominum nostrum intellexerit. Deinde hoc multò magis debuissent obijcere de volumine Esteræ, in quo de Deo ne hilum quidè, quatenus apud Hebræos hodie extat. Ceterum Hebræi hoc Canticum ad Ecclesiã veterè, Nostri magna ex parte ad Ecclesiã nostrã, Nos ad utrãq; referri volumus, cum praesertim unica sit sponsa Christi, quæ ab Adamo per Abelè & Sethum ad nos deriuata sit. Origenes autem refert primò ad Ecclesiã ex gentibus collectã, deinde ad unãquamq; animã, quæ ad Deum & fidem tendit. In eo interdum dominus collaudat sponsam suã, interdum Ecclesia sponsam suam, contra quã fiat in reliquis scripturae canticis. In quibus, ut annotant in Midras, citra dialogismum, aut Israël laudatur à domino, aut dominus ab Israël. Appellatur Canticum canticorum, quia fecundissimum est mysterijs, laudatissimumque inter Cantica, quæ composuisse dicitur Salomon 3. Reg.

4. tam

4. tam ratione artificij quàm rei subiectæ, continet enim praecipua mysteria, Ecclesia veteris & nouæ. Sic visitatum est dicere in script. Regem Regum pro Rege potentissimo, locustam locustarum in Sephonia pro locusta copiosissima. Constat carmine, sed huius ratio metrica excidit ut & Psalmorum, Iobi, Prouerbiorum. Quæ enim oratio hodie inter Hebræos coerceri pedibus dicitur, recens est & ab alijs linguis ducta, ut alibi scripsimus. Iam contextum delibemus.

2 Nostri hunc versiculum referunt ad veterem Ecclesiam, sat nobis dominus locutus est per Prophetas & Angelos, iam ipse nobiscum colloquatur, &c. Possunt etiam hæc esse verba noua, utraque enim feruentissimo gaudio & amore in hæc verba prorumpit, sic Paulus cupit esse cum Christo. Per oscula intelligit arctam coniunctionem & singularem, per vinum quamcunq; latitiam, per amores dilectionem illã sanctam, qua ecclesia Christum deperit. Noster interpres legit וְבֵרָהּ וְבֵרָהּ uerba tua, quæ solent ad amorem pertrahere. sed hoc non propriè conuenit sponso, unde & cap. quinto, ubi sponsi membra describuntur, nulla uerbum mentio. Intelligunt autem nostri uerbum nomine dulcedinem euangelij, Vini verò legem veterem paulò duriolem.

3 Loquitur de odore uerbi domini & prodigiorum eius, quorum fama multi ceruicem supposuerunt & legi veteri & euangelio. Sic Eccl. 7. melius nomen boni. i. fama, quã unguentum. Sic nostri tradunt in sacro chrismate balsamum propter odorem, claritatem famæ designare. Per puellas intellige singulares animas aut etiã

gentes. Tanta est suauitas doctrinae tuae & verbi tui, ut etiam gentes, quae te non nouerunt, amore tui capiantur teque perquirant. Dionysius Areopagita cap. 4. lib. de eccl. Hier. non aliene hunc locum tractat. Iesu, inquit, nomen oleum est effusum. Christus enim appellatur, quod ipse eximie fragrans repleat diuina voluptate participes. est enim fons suauolentiae, emittens diuinos halitus in pias animas. Adolescentulas autem dixit, ait Orig. non illas uetulas ac ueterem hominem indutas animas neque rugas habentes, sed eas quae augmento gratiae adulescunt.

4 Trahe me. Initium iustificationis nostrae a solo deo est, qui nos ad sui cognitionem & amplexum uel aliud quiduis agere trahit. Post te currem. Iam iustificata curram non ego, sed gratia Dei mecum. Ideo enim mutatio numeri facta est, nam alioqui dicendum fuerat, Post te curram. Introduxit me rex. Hic praeteritum pro futuro nonnulli esse aiunt: introducet me in penetralia sua. Intelligi rectius potest in praeterito, quasi Ecclesia gloriatur & praedicet se iam admissam esse in domini conclauia, referta opibus & thesauris scientiae & mysteriorum. Penetralia enim sunt loca secretiora, ubi thesauri multi sunt. Alij nimis restringunt ad cellaria seu ταμεία, ut Graeci uerterunt, ex eo quod sponsus dicatur induxisse sponsam in cellam uini, capite secundo. Vox enim Heb. generalior est. Rectitudines. Abstractum pro concreto, quicumque recti sunt amant te. Sic & septuaginta & Hieronymus. Hebraei exponunt in ablatiuo, repetito puellarum nomine a superioribus. Puellae amant te rectitudinibus, & amore recto, in quo est sinceritas

Penetralia
thesauri cele-
stes.

ceritas & planicies, nihil fuci, &c. uel puellae amat (praerectitudinibus. i. magis quam uinum generosum, hoc enim nomen peculiariter dici uoluit de uino, ex Cant. 7. & Pro. 23. Uinum ambulat in rectitudine, recte & generose, uide Abben Ezra. Obserua autem hic fieri transitum a secunda persona ad tertiam & contra, trahe me. Deinde, introduxit me. Mox, delectabimur te.

5 Nigra quidem sum, uerum formosa ut tentoria Cedarum, qui nomades sunt & agunt uitam pastoriam in desertis Arabiae, & ut tabernacula Salomonis, quorum etsi exposita pluuijs & aeris iniurijs nigrorem quendam contrahunt, insignis est interior elegantia & partium conformatio seu descriptio. sic enim is qui foris est noster homo corrumpitur externis incommodis, & qui interior est renouatur in dies. Lege 2. Cor. 4. Hebraei haec referunt ad synagogam, quae iacebat afflicta in Aegypto, ut proinde appellata sit fornax ferrea. Nostri ad Ecclesiam collectam ex gentibus, quae feda erat olim Idololatriam & carnis operibus, postea uero uocatione, fide, poenitentia, operibusque fidei secundum electionem praedestinationemque domini perelegans facta est. Referri etiam potest ad omnium temporum Ecclesiam, quae semper persequentium iniurijs opportuna fuit: cum interea pietatem & fiduciam in dominum nunquam deposuerit. Per filias Ierusalem nonnulli intelligunt angelorum cateruas. R. Selomo gentes, Abben Ezra cogitationes. No-

Filiae Ierusalem
qua.

internarum. Tu eos vniversim intellige, qui nondum planè ad Christi cultum & fidem perducti sunt, aut certè singulos ex Ecclesia.

6 Non innatus est mihi nigror iste sed fortuitus, ex solæstus afflictionum. & ira atq; persecutionib⁹ meorum ex matre fratrum, quales sunt schismatici, hæretici, falsi fratres, quos renatos externa ceremonia nobis pro fratribus Ecclesia præbuit: cum interim Dominus eos in filiorum numero nunquã duxerit, adeo ut ex patre fratres haberi nõ possint. Nã, ut Cyprianus rectè in lib. de simplicitate prælatorum inquit. Nõ habet deum patrem, qui non habet Ecclesiã matrem. Allegoricè, vis, inquit, persecutionum me eõ adduxit, ut nigrorẽ contraherem.

7 Quia se tactam sole dixerat, interrogat cur hoc meridiano aestu, quem ferre cogitur, sponsa suæ rationem sponsus nõ habeat. Cur enim committas, ut sim tãquam meretrix, quæ velo obducere se solet, ut de Thamar scribitur Gen. 28. aut ut scribit Kimbi in Radicibus, tanquam diuertens & vagans ad greges sociorum tuorum. Vagatricem vocant Hebræi scortum, siue meretricem. Sic Chaldei נַפְקָא בְּרָא, q. exeuntem foras, quod talis esse soleat mulier, cui pudicitia nulla cura est, ut contra proba & casta domi residet, diligenterq; curat rem familiarẽ. Vnde D. Paulus iubet, ut mulieres sint οἰκονομοὶ q. domus custodes, & Poëta,

Seruare uxores, caluus adulter adest.

Allegoricè, indica mihi, ubi tempore persecutionum, possim captare consolationes. Quare enim adacta vi & pondere afflictionum, atq; adeo tentationum, ad idola

&

& Deos alienos seu peregrinos deficiam? aut etiam hæreticos, ut quidem August. epist. 48. ad Vincentium interpretatur, quos sodales Dei ait hinc appellari propter communionem sacramentorum. Porro sodales Dei istos omnes facit non ad veritatẽ, sed ex opinione hominum. Sic enim sæpe loquitur scriptura.

8 Obserua, ut Christus antea pastor dicebatur, ita & hinc Ecclesiam tanquam pastricem dici. Nempe, ut in Bucolicis puella oves seruant, & in Genesi Rebeca, inq; Exodo Iethronis filia. Sequere vestigia ouium, patrum, ut Hebræis placet, & pasce quod tibi commissum fuerit ad tabernacula pastorum, & ad Ecclesias quasq; quas dominus in terris instituit, o mulierum pulcherrima quæ ad Dei imaginem & similitudinem olim ab eo procreata, à Christo nunc recreata es.

9 Equæ Ægyptiæ (quæ adhibebatur curribus Pharaonis, de quib⁹ 3. Re. 10.) nomine generatim elegantia sponsa explicat, sequentibus verò versibus speciatim. Quidam exponunt, Ad equitatum meum (vox enim Hebræa & equam & equitatum significare potest) quo usus sum in currus Pharaonis, habui te pro amica. Habes historiam in Exodo. 14. & 15.

10 Per genas pudorem intellige. cætera nota sunt è commentarijs.

12 Accubitus Regis huius designat presentia Christi in Ecclesia, de qua simili tropo Ioannes Apo. 3. cenabo cum illo & ipse mecum: vide & nuptiarum cenam Apoc. 19. & Mat. 22.

13 Nardus fidem, & seq. versiculo, duo ubera, duo testa-

Ecclesia pas-
trix.

Tit. 2.

testamenta, si nostros, ut debemus, sequimur.

14 Copher, quem cyprum vertimus, frutex est ignotus. Hen gadi autē vicus in tribu Iuda prope mare mortuum, inter cuius vineta, cyprus nascebatur, ut apud nos ficus aut malus Persica. Item & opobalsamum. Est etiam desertum huius nominis Ezech. 47. ubi David latuit. 1. Reg. 24. Hieron. de locis Hebr.

15 Oculi tui sunt oculi columbarum, nempe simplices, & casti. Columba enim simplex est, ut è quodā euangelij loco intelligitur. Item alteri, quā suo masculo, nunquam iungitur. vide Midras. Per oculos accipe Ecclesie perspicacitatem in ijs, quæ ad fidem, cultum dei, & mores pertinent sincere & absq; errore dijudicandis. Nam in his non hallucinatur.

16 Per lectum Hebræi intelligunt tabernaculū Moysis & deinde templum Salomonis. Nos sedem Ecclesie, quæ puber vernaque verbo Domini, fide, timore, &c. Ducitur Metaphora ab arboribus virētib; quæ promittunt fructū. Pulcher autem dicitur Dominus, ex essentia. Nam illud unū est ex 45. diuinis nominibus, quæ illi in scripturatribui annotauit magnus Dionysius. Is enim cap. 4. ita de pulchro diuinè philosophatur.

Nota verba
Diony. cap. 4.
lib. de Diui.

τὸ θεῖον καλὸν λέγεσθαι ὡς πάγκαλον ἅμα καὶ ὑπερκαλον καὶ ἀεὶ ὄντι τὰ αὐτὰ, εἰς αὐτὸς καλὸν, καὶ οὕτε γιγνόμενος οὐτε ἀπολλύμενος, οὐτε ἀυξανόμενος, οὐτε φθίνου. οὐδὲ, τῆ μὲν καλὸν, τῆ δὲ ἀισχροῦ. οὐδὲ, τὸτε μὲν, τὸτε δὲ οὐδὲ πρὸς μὲν τὸ καλὸν, πρὸς δὲ τὸ ἀισχρόν. οὐτε, ἐνθα μὲν, ἐνθα δὲ οὐ, ὡς τισὶ μὲν ὄν καλὸν, τισὶ δὲ οὐ καλὸν, ἀλλ' ὡς αὐτὸ καθ' ἑαυτὸ μεθ' ἑαυτῆς μονοειδὲς ἀεὶ ὄν καλὸν. καὶ ὡς παντὸς καλοῦ πῆρ πηγαίου καλλοῦ ὑπεροχικῶς ἐν ἑαυτῷ πρὸς ἑαυτὸν. τῆ δὲ ἀπλῆ, καὶ ὑπερφυσῆ τῆ ὄλων καλῶν φύσει, πᾶσι καλλοῦ, καὶ πᾶν καλὸν ἐνοειδῶς κατ' ἀίλια πρὸς φέσκειν. Postrema verba sic

sic libuit vertere. Deus dicitur Pulcher, ut qui ipse secundū se, apud sese unica simpliciq; ratione semper sit pulcher, ac vniuersæ pulchritudinis fontanam elegantiam excellenter in sese in primis habeat. Simplici enim & supernaturali vniuersarum pulchritudinum naturæ, omnis decor omnēq; pulchrum unice & singulariter secundum causam primum inest. Vide scholia Maximi pag. 168. & seq.

17 Edificium Ecclesie firmum & stabile è trabibus cedrinis nunquam putrescentibus, unde ad Hebr. 11. Fundamenta habens ciuitas dicitur, cuius artifex opifexq; Deus. Cedrus enim arbor sublimis, non obnoxia putredini & sempiterna coma viret. Pli. cap. 21. lib. 16. nat. Hist. Quæ similitudo etsi ad Ecclesiā in terris militantem accommodari debeat, tamen in beata & triumphante Ecclesia completior absolutiorq; erit, quum cæna nuptialis agni celebrabitur & Ecclesia à morte exsuscitata ac penitus ab omni peccato & dolore liberata, in thalamum beatæ & aternæ vitæ, lætitiæ & gloriæ intromittetur.

COMMENTARIVS R. SE- lomonis Iarhij in primum cap. Cantici Cant.

Vnum pronunciauit Deus, duo hæc audiui. Scriptura quidē vna eademque trahitur in quamplurimos sensus, sed nulla tibi est, quæ simplicis & historici sensus rationem euadat. Quamquam enim prophætæ liben-

ter usurpant similitudines, necesse est tamen illas accommodare ad modos suos seu tropos & ad ordinem, qua ratione scripturae aliae post alias loco & ordine collocatae sunt. Vidi in librum hunc quamplurimas expositiones allegoricas, quasdam quidem, quae eum totum adaptabant uni perpetuo allegoriae, alias vero, quae distrahebant in varias & multiplices, atque seorsum tractabant locos Biblicos. Quoniam autem haec non sunt modificatae ad normam & seriem scripturarum, apud me constitui sensum literae, accommodando interpretationem eorum ad seriem seu contextum, allegoriaeque doctorum nostrorum singulas singulis suis locis distincte collocando, persequi.

Loquendi consuetudinem
1125

Argumentum libri.

of. 2.

Vt igitur meam sententiam explicem, vidit Salomon spiritu sancto fore, ut Israëlita abducerentur procul à suis finibus, aliquot sibi mutuo succedentibus exiliis & euersionibus, atque lamentarentur in hac (in qua hodie sunt) captiuitate gloriam suam pristinam, recordati dilectionis priscae, qua erant peculium Domini prae reliquis omnibus populis, in hanc sententiam. Ibo & reuertar ad virum meum primum, quia tum mihi melius erat, quam nunc, & recordabuntur beneficiorum eius & prauaricationis suae, qua prauaricati sunt, & bonorum, quae illis pollicitus erat daturum se extremis temporibus. Argumentum autem libri spiritus sancti afflatu sumit ex persona mulieris, quae multam aetatem vidua vixerat, cursitantis ad maritum, salientis ad dilectum, recensentis suam erga eum dilectionem à puero conciliatam, & deprecantis thori perfidiam. Ex hac oratione inducitur spon-

sponsus grauiter angustias eius ferre & commemorare quanta fuerint encomia pueritiae, quanta venustas pulchritudinis, quanta rectitudo operum eius, quibus ad ardentissimum ipsius amorem pellectus sit, idque; ut intelligat se non ex animi sententia illam affligere, & quod dimissio eius non sit repudium, cum praesertim adhuc ipsam habeat pro uxore, sequitur; nunc tandem mariti officio cum ea gesturus sit.

1 Canticum canticorum quod Salomonis. Commentati sunt doctores nostri nomen Salomonis, cuius mentio fit in Cantico canticorum, omnibus locis designare Christum Regem illum sacrosanctum, cui tribuitur pax. Hic enim editur Canticum canticorum omnium excellentissimum, quodque; habetur deo Opt. Max. ab Ecclesia & populo suo synagoga Israëlita. Nunquam inquit R. Akiba, talis dies illuxit atque; is, quo traditum Canticum canticorum Israëlitis. Omnia enim agiographa sancto quidem respondent, sed Canticorum canticum sancto sanctorum. Itaque; illud R. Eleazar filius Azariae comparat regi, qui satum tritici ea lege pistori tradit, inde ut hoc vel illo modo similia talem tantamque; farinam popularem pariter & fursur hoc vel illo pacto eliciat, atque; sibi è medio eius libum eximium & celsum efferat. Sic enim omnia agiographa referunt sanctum, at hoc Canticum augustissimam templi partem. Totum enim est in timore Domini & de recipiendo regni eius iugo.

Fursur non ita crassum.

2 Osculetur me osculis oris sui. Hoc Canticum habetur à sponsa longo exilio & viduitate exercita.

*Vtinam, inquit, osculetur me Rex Selomó osculis oris sui. Hęc enim erat illius tempestatis consuetudo. Cū plerisq; aliis locis osculum admoueat manu aut humero. Ego verò, inquit, expecto, immo verò efflagito ut tere geras erga populum meum pristina consuetudine, sicut sponſus erga sponsam ore ori adhibito. Quia meliores sunt, mihi, amores tui vino, quāuis com-
potatione vini, quouis delicio & voluptate. Phraſi Hebraica conuiuium omne utitur delicioſum & voluptarium vini nomine appellatur, ut in Hester, praefectus super domo conuiuij vini. In Cantico nulla est vini potio, sed fistula, nablū, cythara, tympanū sunt spectantibus vinum epulare. Haecenus simplex litera expositio.*

Allegoria attingit legem, quam illis in prospectu habito colloquio, dedit. Illi, inquit, amores etiānum dulciores sunt quauis oblectatione & ab eo speramus, ut adhuc nobis affulgeat, declaretq; arcanos sensus & occulta mysteria eius, eóq; adoram⁹ vultū ipsius, ut confirmet verbum suum, hoc est, osculetur osculis oris sui.

3 Ad odorem unguentorum tuorū bonorum. Nomē enim טוב .i. boni seu suavis dicitur de unguentis. Ad odorem unguentorum tuorum suauium, quem, audita fama tua, cum stupēda edidisti in Aegypto, olfecerunt extremae nationes. Unguentum effusum vocatur nomen tuum. Vulgò enim iactatur, te unguentum esse, quod iugiter funditur, cuiusque suauolentia in longinquum manat. Haec enim est suavis unguenti affectio. Nam quo tempore in vase xiphonculo concluditur, odorem nullum foras mittit. Illo autem re-

Eregrat.

recto, maximè si unguentum in vas aliud fundas, odor late spargitur. Ideo adolescentula Dilexerunt te. ^{Exod. 18. 1 of. 2.} Venit Iethro rumore rerum tuarū adductus & profelytus factus est. Rahab etiā meretrix professsa est. ^{Hospita.} Quia audiimus quòd arefecit, &c. & ob hanc causam, Quia Dominus deus eorum est dominus in caelo, &c. Puellas vocat virgines, comparat enim sponsam inueni qui habeat amicam se depereuntem. Allegoricè verò puellae sunt exterae nationes.

4 Trahe me, post te curremus. Accepi à nunciis tuis sacramētum, quo tracturum me pollicitus es. ^{signum.} Mox confirmata apud me dixi. Post te curremus, ut tibi sim uxor. Induxit me rex in penetralia sua, &c. etiānum hodie mihi exultatio est & gaudium, quòd tibi adhaerim. Memores erimus amorum tuorū. Etiānum hodie in mea vitæ viduitate assiduè potius commemorabo amores tuos pristinos, quàm ullum epulum aut conuiuium sumptuosum. In rectitudinibus dilexerunt te. Dilectio vehemens erat, dilectio rectitudinis absq; fraude & fuce, qua ego & olim patres mei dilexerunt te. Habes simplicem loci intelligētiā. Allegoricè autem Israëlitae enumeratione coram domino recensent pietatem pueritiae, amores quibus in desponsatione flagrabāt, praeterea ut dominū in desertum sequuti sint, terram squallentem & simillimam umbrae mortis, nec tamen id molestè tulerint credentes ei & nuncio eius, nec quēsti haec aut similia dixerint, quo pacto exhibimus in solitudinem, ubi locus non est sementi aut cibo? ipse verò introduxit eos in media penetralia

Dilectio recta non fucata.

circumpositis nubibus suis. In quo etiã num hodie exultant & gestiunt, etiamsi sint in medijs afflictionibus & calamitatibus, atque sese oblectant in lege eius, ac ibi amorum ipsius potius meminerunt, quàm vini, non dissimulata suã erga eum dilectionis rectitudine,

5 Nigra sum sed speciosa, ne queso sociã vilescam oculis vestris. et si enim reliquerit me vir, nigroris, quo offundor, causa, (nam nigra sum est & ardore solis) at tamen elegans admodum mihi est membrorum conformatio. Vt nigra sim sicut tentoria Cadarenorum, que propter imbres atrore consperguntur, in desertis enim perpetuo tensa sunt, facile tamen elucere me possum & similis fieri pellibus Salomonis. Sensu allegorico Ecclesia Israëlita externis gentibus, Nigra equidem, inquit, sum operibus meis, sed actionibus patrum meorum speciosa. Quin etiam operum meorum quedam honesta sunt. Vt in me insit impietas vituli conflatilis, est tamen in me è contratio traditionum legis puritas. Vocat autem exterarum nationes filias Ierusalem, quòd ipsa futura sit metropolis omnium populorũ. Hoc prædixit Ezechiel, dabo, inquit, eos tibi in filias: quo sensu in Iosue scribitur, Accharon & filia eius.

6 Ne despiciate me, ne inspiciate me contemptim, quòd sim nigra. Non enim hunc nigrorem & deformitatem traxi ex matris meę visceribus, sed solis adustione, cuiusmodi umbram nactus remittitur & albescit. Filij matris meę. nempe Egyptij, inter quos educata sum, quique conscenderunt mecum turbã promiscuã, exarserunt in me & sollicitatione atq; illecebris posue-

runt

runt custodem vinearum, ubi adustit me sol & nigram reddidit. q. d. adegerunt me ad cultum Deorum alienorum, & vineam meam, quam à maioribus acceperam, non seruaui. Pastores interdum in scriptura censentur vinearũ nomine, ut in Ezechiele, assignabo illi vineas suas, hoc est interprete Chaldeo Paraphraste, præficiam illi pastores suos. sic alibi, respiciet viam vinearum.

7 Indica mihi ò quem diligit anima mea. Iam Spiritus. denuo eam cõparat oui, quã pastori grata est. Ait igitur coram eo Ecclesia Israëlita velut marito coniux, Indica mihi ò quem deperit anima mea, quĩ sit ut pascas oves tuas inter lupos hos, qui sunt in medio, & stabules eas in meridie, in hoc exilio, quod illis est tẽpus afflictionis, sicut meridies ouibus? Nam quare ero tanquam עוּטִיָּה, inuoluta vel errans. Quid tua refert, inquires? at non id tibi gloriã vertitur, ut sim tãquam luggens inuolutis labijs atque fleam propter oves meas. Ad greges sodaliũ tuorũ. Iuxta greges reliquorum pastorum, qui aequè, ac tu, pascunt oves. q. d. inter profanarũ gentium turmas, quę addictæ sunt dijs alienis, habentque reges & principes, qui eas regant.

8 Si ignoras hæc est pastoris responsio, si nescis, quò proficisci debeas, ut pascas oves tuas ò mulierum pulcherrima, quòd illas pastor ducere desierit, Exi tibi per vestigia ouium. Inspice & observa vestigia ouium, quoque itinere perrexerint. Dignoscuntur enim facile vestigia, vernaculè les traces. Et sic plerisque locis scriptura עֵקְבוֹתַי .i. vestigia tua non sunt nota, & ablata sunt עֵקְבוֹתַי .i. vestigia tua. Et, ipse turmatim cinget

Quomodo pascis oves, &c.

Psal. 77.
Ier. 13.

Gen. 49.

עֵקְבוֹתַי

עקבי *plātam. & redibit ad vestigia sua.* עקביו. *Illā ergo viam tene. Et pasce agnos tuos ad tabernacula pastorū. Inter tabernacula reliquorum pastorū, iuxta quos versaris. Allegoricè verò, si ignoras ô Ecclesia, cōcioque mea, mulierum. i. reliquarum nationum pulcherrima, quo pacto pascas & libereris è manu angustantium, ut inter eos viuas & non interficiant filios tuos, attēde ad vias patrum tuorum veterum, qui leges meas susceperunt & seruarunt cautiones, præceptaq; mea, & illorū viuis insiste atq; ita eam ob rem pascas agnos tuos apud principes populorum. Vide Ieremiam hæc cōcionantem, statue tibi tumulos, pone cor tuum in semitam.*

Illorū viuendi rationem sequere.

Ita accommodatè ad expositionē huius Rab. vertim^r ceteram altera versio præstat.

Ab. 31

9 Ad equitatum meū in curru Pharaonis, silentiū imposui tibi socia mea. לַסוֹסוֹי. particula ל hoc loco non est index datini casus, sed præpositio, ut sæpe aliās. לַקוֹל. ad sonitum, quem edidit abundantia aquarum. & paulò suprà רִיחַ ל ad odorem unguentorum tuorum, hoc sensu. Ad congregationē equorum multorū (Collegi enim exercitus meos, ut in occursum tuum exirem in currus Pharaonis, ad seruandum te, sicut scriptum est, ambulasti in mari cum equis tuis, equis plurimis) ibi silere feci te ô socia mea, ibi conticescere feci clamorem tuum, iuxta illud, dominus pugnabit & vos silebitis. Hanc interpretationem reperi in siphre agadā. Et certè סוֹסוֹי. equitatus, significat multitudinem equorū vernaculè chaulerie. רְמוֹתַי verò hoc etiā sensu accipi potest, ibi, inquit, ostēdi omnibus te meā sociam esse, aut isto, paravi te, &c. ut alibi, me רְמוֹתַי pararūt seu cogitarunt interficere. Illic enim habitu specioso exornavi te.

10 Pul-

10 Pulchrę sunt genę tuę murenulis. חֲרוֹמִים sunt ordines monilium aureorum, quę auribus & frontibus adhibentur, Collum tuum monilibus. חֲרוֹמִים sunt torques auręi & margaritę filo aureo colligatę, quę sibi ex spolijs Ægyptiorum, quos obrutos mare rubrum euomuerat, comparauerant.

11 Murænulas aureas faciemus tibi, deliberauimus apud nos ego curiāque mea de Pharaone, ante ipsius aduentum, decipiendo, eoque ita obdurando, ut te persequeretur cum omni gloria & gazis thesaurorum suorum, ex quibus tibi conficeremus murænulas ornatu aureo. Cum punctis argenti, quod iam præ manibus erat, quodq; ex Ægypto comportaueras. Fuit enim amplior præda maris quàm Ægypti. Per puncta autem intelligit vasa argentea punctim signata & picta maculis atq; coloribus.

12 Quandiu rex in accubitu suo. respondet Ecclesia Israël & quę sequuntur omnia inquit, de me quidem optimè meritus es, ego verò de te pessimè. quandiu enim rex in mensa, accubitu thalami sui erat, Nardus mea dedit odorem suum, hoc est, putruit, per contrarium scilicet sensum veluti significans illam, cãtisperdum diuina maiestas erat in Sinai, corruptā in vitulo. Antiphrasi autem scriptura vritur, quòd delectetur genere dicendi puro alienoque ab obscenitate.

13 Fasciculus myrrhæ dilectus meus. Dilectus meus factus est mihi quasi is in cuius sinu, myrrhæ fasciculus reponitur his verbis, hic tibi fasciculus odorem multò suauiore primo, quem amisisti, spiraturus est.

D Ita

Ita enim Deus Opt. Max. Israëlitis placatus est, condonauitq; culpam conflatu vituli, & noxam remittens sponte, inquit, vestro offerte ad tabernaculum. Item, offerat aurum tabernaculi & expiabitur super auro vituli. Inter vbera pernoctabit, etsi preuaricata sum in eum, tamen pollicetur se ibi habitaturum inter vbera mea inter duos arca vectes.

Cant. 4.

Liber est Hebræorum.

14 Botrus cypri dilectus meus. cyprus seu Kópher nomen est aromatis, ut cypri cum nardis, &c. speciemq; botrorum præfert. In vineis hengadí, nomen loci ubi reperitur cyprus, porrò hæ vites fructus suos ferre dicuntur in Agadá quater quinquiesve annis singulis. Allegoria pertinet ad quamplurimas expiationes & propitiationes, cum dominus multas tentationes, quibus eum in deserto exercuerunt, remisit.

15 Ecce tu pulchra amica mea, pudebat me corruptionum mearum, ipse verò confirmavit me verbis placidis & dixit, peperi ut postulabas, en te igitur pulchram, quia oculi tui columbini. Significatur sponsa, cuius oculi sordidi sunt, corpus uniuersum egere explorationis, contra quæ oculis niret & illustris est, ipsam se facile explorare. Mystice, quia condonavi tibi iniquitatem tuam, es profectò pulchra factò iuxta ac auditu, pulchra operibus patrum, pulchra operibus tuis. Oculi enim tui columbini, hoc est, iusti apud te sunt, qui cohaeserunt mihi, sicut columba, quæ matrem suam nunquã ut alteri iungatur deserit. Hoc expresserunt Leuitæ, qui omnes conuenerunt ad eum, nec errore vituli capti sunt. Præterea pulchra es opificio tabernaculi. Scribitur enim

Exod. 39.

enim, Ecce absoluerunt illud, &c. & benedixit eis Moses, &c. Ideò scilicet collaudabat eos.

16 Ecce tu pulcher dilecte mihi atq; etiam suavis. non hæc est mea pulchritudo, sed tua o tu qui pulcher (natura) es. Atq; etiam suavis. dissimulasti enim preuaricationes meas & diuinã maiestatem tuam collocasti in medio mei. Quæ est commendatio descensus ignis, vidit, inquit, uniuersus populus & conclamauit, &c. Etiam lectus noster floridus, beneficio suauitatis tuæ lectus sanè noster filijs & filiabus nostris, qui omnes huc ad te conueniunt, floret, iuxta illud & congregata est multitudo, &c. Porrò tabernaculum vocatur lectus ut infra. Ecce lectus eius qui Selomonis, Cant. 7. Similiter sanctuarium lecti nomine intelligitur, ut in historia Ioas, In conclauis, inquit, lectorum, qui erant in aede domini. Vtrumque enim erat incrementum & amplificatio Israëlitarum.

17 Trabes ædium nostrarum cedrinæ. commendatio tabernaculi. Tigna nostra. Heb. רהיט utrum significet asserem an vectem equidè nescio. Mihi quidem perspectum est legi in Misna רהיט Trabes seu Contextus talis mudicus. vectes seu postes hominis testificantur in eum.

COMMENTARII R. ABRAHAM ABEN EZRÆ in 1. Cap.
Cant. Cant.

Hic liber insignis est admodum & planè omnium approbatione comendandus. Ex omnibus Canticis Salomonis,
D 2

lomonis, quæ quinq; supra mille fuerunt, nullū est quod cum hoc conferri possit, & proinde inscribitur Canticum Canticorum Salomonis. hoc enim siue carmen siue Canticum dignius excellentiusque est ceteris quæ ipse edidit, ac in eo mysterium abstrusum & reconditum est, repetitum à temporibus Abrahamæ parentis nostri ad tempora usque Christi, imitatione Moſis, qui in Canticis, Auribus percipite, quando diuidebat altissimus gētes, capit ab ætate qua diuisæ sunt gentium lingua, & progressus est ad Israëlicum de exilio reditum, quem speramus post prælium Gog & Magog. Porro ne mireris, quod compararit Ecclesiam Israëlis sponsæ & dominum amanti. Is enim est scripturarum mos. Canticum dilecti mei, inquit Esaias, ad vineam suam. Et præterea, sicut gaudium sponsi super sponsa. Vbera aptata sunt, ait Ezechiel, & pilus tuus germinauit, tu verò nuda & spoliata. Item, & operiam nuditatem tuam, & ornabo te ornatu, cū tota sectione. Sic Oseas, desponsabo te mihi in perpetuum, vade, ama mulierem. Et in libro Psalmodi, Maschil Canticum dilectionum in quo etiam scribitur, Audi filia & vide & inclina aurem tuam. Nefas enim est credere Canticum Canticorum esse de rebus veneris. Nā certè allegoricum est, & nisi magna fuisset dignitas præstantiæque eius, nunquam ascriptū esset arcanis sacrarum literarum libris. Præterea nullus vnquam ipsum existimauit contaminare manus. Itaq; cum sit suis numeris perfectum, illud exposui tribus modis. Primo voces difficiliore & obscuriores, altero rationem dramatis simplicem & histori-

Deut. 32.

Esa. 5.

Esa. 62.

Ezech. 16.

Os. 2.

Psal. 45.

Mores.

cam,

cam, tertio sensus allegoricos declaraturus sum.

VOCVM PRIMI CAPITIS explicatio.

Hæc ait Abraham filius R. Meir Hispani huius Homines contemplationibus dediti. commentarij author. Scioli quidam exponere hunc librum ceperunt de mundi arcanis & modo cōiunctionis animæ supremæ cum corpore gradu infimo. Alij autem caelestis. illum explicant de temperamentis & crasibus. Sed hos vel de cōstellationibus, & sideribus. nā vox ambigua. omnes tollet ventus, quia futiles sunt, nec verum est aliud, quàm quod tradiderunt doctores nostri, quorum nomen faustum felixq; sit, hunc librum compositum de Ecclesia Israëlica, sicque exponam eum tertio loco, ratione allegoriæ, quæ in verbis voluptarijs latet. Præterea obseruatu dignum est, nomen Salomonis toto hoc libro dici de Salomone Rege. Quia autem in hoc libro plurima sunt vocabula difficilia, ea in initio cœpi exponere, postea verò sensus mysticos & quicquid illis significatur, persequar.

2. Osculetur me. Osculandi verbum constructum (ut hoc loco) sine ל significat admouere ori osculū, exempli causa וישקו & osculatus est eum, at cum ל, manui vel humero vel maxillis pro varia gentium & populorum consuetudine, ut לי וישקו osculare mihi (manū scilicet aut humerum) וישקו ei est (manū sup.) & sic Iacob לרחל וישקו osculatus est Racheli (manum aut, &c.) Amores tui. Amores tui plus exhilarat quàm vinum. Haggæon nomine Hebræo וירך existimat significari humorem saliualem, qui sub lingua

Gen. 33.

D 3 est

Pro. 7.

Amoribus.

est, adducens probationem ex versiculo, Age inebriemur רורים saluâ ad mane vsq;.

3 Ad odorem vnguentorum tuorum. Id est si credimus nonnullis interpretibus, narium tuarum. Equidem huiusmodi interpretes propemodum dixerim nunquam vnguento delibutos, aut cogitasse Salomonem locutum de oleo oliuarum. Effusum. Hebraeum תורק pleriq; aiunt nomen esse loci, cum tamen rectius sit epithetum olei, hoc sensu, nomen tuum est sicut oleum quod יורק effunditur, cuiusq; odor eximie fragrat. Nec verò mireris nomē שמן, vnguentum, hic esse fœminini generis. Ita enim saepe inuenies nomina עמל labor, בית, domus, מקום locus & similia modò masculinè, modò fœmininè accipi. Puellæ, עלמות sunt parua puella.

4 Commemorabimus. Hebraeum נוכרה nonnulli exponunt odorabimus, ex אוכרתה ליוו odor eius domino. Leu. 6. Et זכרו odor eius sicut vinum Libani. Os. 14. Rectitudinibus. מישרים includit affectionem vini, ut, ne aspicias vinum cum ambulat in rectitudinibus, recta & generose. Item, ambulat ad amicum meum in rectitudinibus. Porro ἀπὸ τοῦ κοινου è superiore mēbro repetenda est prepositio (præ) ut hec efficiatur sententia, præ rectitudinib⁹, aut magis quam rectitudines dilexerunt te puella, quas iam diximus. Simile ecclipsim habes cap. 6. Exodi. Apparui Abrahamo, Isaaco & Iacobo in Deo omnipotente & nomine meo Adonai, pro, in nomine meo Adonai, aliâq; id genus. Alij rectitudinem accipiunt pro equitate: equitates dilexerunt te, ut, indicans מישרים rectitudines seu equitatem. Prior in-

terpre-

terpretatio mihi magis placet.

5 Nigra sum. Nonnullorū sententia pulchra & elegans, sic in Numeris, mulier aethiopiissa, ut cū mater filiâ cuius pulchritudini metuit, neue eam oculus nequâ comprimat, aethiopiissam seu nigram vocitat. Caterum nihil nobis hac expositione opus est, neque illud significatur dictione aut aethiopiissa aut nigra. Testificatur enim anima sua apud se loquens, ne se despiciant quod subnigra sit. Sed speciosa. Heb. נאה q. optata & expetita ab אורא concupiuit. Nun autem est Symbolum coniug. niphâl ut his locis, omne נעשה quod fit in sartagine, & non est lapis נראה spectatus.

6 Subnigra. שחרחרה propter reduplicationem diminutiuum est, ut ירקרק subuiridis ארטרם subruffus. Aspexit me. Vidit atq; intuitus est me & detexit, sic in Iob, non aspexit eum oculus noctua, שופחו. Ex can- 1ob. 28. duerunt in me. Heb. נחרו בי pugnarunt mecum, in eo autem Nun est characteristicon coniugat. Niphâl à themate ויחר & pugnavit seu exarsit ira eius. Custodem. 1ob. 19. נטרם est nomen adiectiuum sonans custodem.

7 Quem diligit anima mea, vocandi particula suppressa est, hoc sensu, indica mihi o tu quem deperit anima mea, seu quem ardeo. Quomodo pascis oves. Quomodo stabulas eas. Hic sunt qui vocem Hebraâ איכה existimēt loci interrogatiuâ esse ut הם איכה ובי sūt? Quare enim. Heb. שלמה, posito ש pro אשר quia. Sicut עוטיה mixta, est enim participium actiuum sumptum è Samuele ויעט & immiscuit se populus ad 1. Sa. 14. spolia. Non desunt qui exponant, sicut inuoluens se, sed id

Pro. 23.
Cant. 7.Generosum vi
uum.

Ibid. 15.

id alienius est. Alij, sicut increpita, ex alio Samuelis loco
 וועט כהם inuectus est in eos.

8 In vestigiis ouiu. עקבותיך accipitur ut, Ps. 77 עקבותיך
 vestigia tua cognita sunt. Sunt enim indicia eius, qui
 plantam imprimit & deinde incedit. Hædos tuos,
 quoduis animal, si modò paruum sit, appellatur גרי, ut
 constat ex adiunctis, גרי עוים Hædus caprarum, & id
 genus.

Alijs equita-
tini.

9 Equæ. In Hebræa voce לוסותי iod vacat, quod a-
 libi accidit: ut, impleni iudicium אהבתי dilectione ad
 triturandum. Murgenulis חורים figura sunt præ se fe-
 rentes turturum speciem.

Melius ligna
cedrina.

10 Equæ autem lapilli præciosi inter se colligati, alibi
 autē hæc vox in tota scriptura nō occurrit, nisi, ut nōnul-
 lis placet, וארוים & monilia in negotiatione tua, apud
 Ezech. 27. huic sit simile, cōmutato א in ח. hoc verò ab-
 surdum est, quoniam nō nisi litera יהוא apud linguam
 sanctam permutabiles sunt.

11 Cum punctis argenti. Nempe ut in figuris mu-
 ranularum puncta argenti, quod candidum est, insint.

12 In accubitu suo, loco veluti eleuato & honesto,
 ut in accubitibus Ierusalem: quāquam opinor significa-
 ri potius locum, ubi est rotunda accubatio potandi cau-
 sa, qualis est epulantium consuetudo. Nardus mea.
 aroma simile croco.

13 Fasciculus myrrhæ. צרור res est colligata, à radi-
 ce וצרה & ligabis argentū in manu tua. Alijs est frag-
 mentum, sed alienius. מור autem muscus, ut in Exodo
 מור מור myrrha seu muscus liber & purus. Quod etiā
 absur-

Deut. 14.
Exod. 30.

absurdum est. Nam paulò post legitur, Messui מורי. i.
 myrrham meam, quod non nisi accipi potest de aroma-
 tica specie, genere quodam germinum quæ carpuntur.
 Præterea legitur, Manus mee stillat myrrham, myrrha
 igitur stillat, quod non conuenit musco. Quibusdam מור
 seu myrrha in duplici significatione usurpatur.

Can. 5.

14 Botrus cypri. quidam per copher intelligunt
 dactylum. Probabilius est ut idem, quod vernaculè &
 lingua Ismaëlica sonet, refert enim botrum. En gadi lo-
 cus in terra Israël, ubi frequens est botrus capparitis.

15 Oculi tui columbini. sicut oculi columbarum,
 quæ cum nullo altero quàm cum pari iunguntur.

16 Floridus, רעננה id significat, ut arbor רעננה. i. flo-
 rida seu viridis.

17 Tigna nostra. רהיט explicari debet è cōmen-
 tarijs doctorum nostrorum. Abietes, ברותים non alibi
 inuenias in tota scriptura: sunt qui scribant significare
 ברותים abietes. Præterea nō desunt qui tradat רהיטנו
 (quod explicauimus tigna nostra) sumi, ut in Genesi
 ברהיטים in canalibus, in aquæ ductibus, atque ita
 ברותים erunt veluti lapides marmorei.

INTERPRETATIO ALTERA

historiæ seu dramatis.

1 Apud omnes non eadem est in re amatoria consue-
 tudo, alijs aliud spectatibus. Hic autem hypothesis est.
 Puella parua admodum, cui nondum extabant ubera,
 custos vineæ, contemplata Pastorem transeuntem, ip-
 sum deperire & deinde amore sui sauciare cæpit.

2 Osculetur me. *verba puellæ, quæ secum veluti colloquitur, & tota in eo est, ut à sponso frequenter repetita oscula recipiat. Nō enim uno aut altero satiatur. Deinde quasi persensisset pastor, pedem, collocutura cum eo, refert. Quia meliores sunt amores tui. Magis quàm vinum inebriant, & exhilarant amores tui, aut saliuua tua, iuxta interpretationē R. Saadię Haggaōnis.*

3 Ad odorem vnguentorū tuorū, ab vnguentis enim, etiam procul disitis, manat odor fragrantissimus. Porro coram ea, quæ recordatur nominis tui, veluti odor myrrhæ efflat, proptereaquæ, Puellæ dilexerunt te. Si igitur vnguenta tua procul posita tanti sunt precij, quantò magis oris tui oscula.

4 Trahe me, singulæ puellę quę dilexerūt te, Trahe me, inquit, post te curremus. Introduxit me rex in conclauiam suam, magis te delectamur, quàm quia induxit me rex in conclauiam suam.

5 Nigra sum, quia puellæ dicebāt, Trahe me, conuertit se ad eas sponsa & ait. Nulla re sum vobis inferior. Etsi enim in me parum nigroris insit, instar tentoriorū Cedaris, quæ perpetuo soli opposita sunt. Pulchra tamen sum, sicut Salomonis tabernacula.

6 Ne despiciate me. ne inspiciate neque intueamini me ignominiosis & despicabilibus oculis, is enim nigror (quo suffusa sum) mihi innatus nō est, sed accidens, quod remoueri facile possit. Causa huius accidentis est, quòd indignati fratres mei constituerint me custodem vinearum, cum tamē antea ne vineam quidam meam seruarem. Deinde ad pastorem conuersa.

7 Indica

7 Indica mihi, quo loco pascas & recubare facias. Nā rursus pascere cupio & te insequi. 8. Cui ille, sequere vestigia ouium & paruulos hædos pasce, ut & tu paruula es, supra tabernacula pastorum. Nam illic est locus meus.

9 Equæ meæ. חסם est femineum equi. In curribus Pharaonis. curruiū alius est ligneus, alius est ferreus. Inter puellas, inquit, quę dilexerunt te, similis es equæ inter currum. Comparat peplum, quo figurato mala eius tegitur, freno ad similitudinem turturum delineato, quod adhibetur equorum maxillis. Monilia aurea, quæ alligantur, respondent chamis, quibus vinciuntur equorū colla. Nec verò, inquit, decet ut murenulæ tuæ aliud sint, quàm aureæ cum punctis argenteis.

12 Respondet ipsa & ait, etiam si odor meus fragrat & rex quoque, cum est in accubitu suo, expetit nardum meam olfacere. 13 tamen multò suauior & fragrantior est odoratus dilecti mei. Est enim myrrhæ fasciculus, ut eum concupiam pernoctare inter ubera mea & cogitem amplecti botrum cappareum.

15 Ecce tu, verba sponsi speciem sponsæ commendantis. 16 Cui sponsa, en pulcher dilecte mi, cui habeo in urbe lectum viridem & domum egregiam. hoc enim significat quod sequitur,

17 Trabes ædium nostrarum Cedrinæ.

TERTIA INTERPRETATIO nempe allegorica & mysticā.

1 Non est quidem expositio allegorica eā præstātor,
E 2 quam

quam attulerunt doctores nostri, sed tamen quia video primæ classis homines ad illam adijecisse & detraxisse plurima, etiam ipse insistam eorum vestigijs atq; hinc ordiar. Nomen Salomonis ubiq; dicit Salomonem Regem, præter, Mille tibi Salomon, illic enim sic vocatur CHRISTVS, quod sit filius eius, uti nominatur apud alium vatem, David, his verbis. Et David seruus meus princeps eorum, atque appellantur eam ob causam filij Israël, seruus meus Iacob, quem elegi, &c. Huic simile esse potest, Oratio Mosi viro Dei, ex sententia R. Saadia Gaonis, qui putat orationem illam cõditam à Davide & decantatam à filijs Mosi. Quamquã rectius Psalmus ille dicitur esse Mosi. Porro scito In filiabus Ierusalem, herere multos. Nam si Ecclesia Israëlita loquitur, quænam hæ sunt filia Ierusalem? sunt qui respondeant duas esse Ecclesias, unam in cælis, alterã in imis terris superiori oppositam, ut filia Ierusalem significant angelos caelestes. Alij tradunt designari exterâ nationes, in eamq; sententiã legi, Et dabo eos tibi in filias. Mihi videtur allegoriam esse mulieris colloquentis cum sua ipsius anima & verba sua ad ipsam referentis atq; veluti congregantis cum cogitationibus suis, id est, filiabus Ierusalem. Quoniam autem testificatur contextus scripturæ dominum Salomoni bis apparuisse, quid eum mirum est vaticinatum de re futura, cum præsertim afflatu spiritus sancti hunc librum fuderit. Sic inuenias Asaphum cantorẽ atq; Hemanem composuisse Cantica eiusdem spiritus numine, appellatosque esse & Prophetas & videntes, ac rationi consen-

taneum

Infr. 8.
Ier. 30.
Psalm. 90.
Ecclesia duplex.
Exech.

taneum est, nõ posse quenquam, nisi sit vaser & peruersus, mentiri, sed iam interpretationem aggredior, ut ingenij mei modulus feret, ac primum totis viribus Deũ oro, cui consilia mea sunt planè cognita, ut ad sapientiam inducat grauitatem tarditatemque meam, mihiq; præsto paratũsq; sit.

2 Osculetur me. Orditur ab Abrahamo, qui fuit radix & primus author generis. Oscula oris sunt lex Abraham. & præcepta, ut scriptum est, propterea quòd audiuit Abraham voci meæ & seruauit custodiam meam, præcepta, statuta, & leges meas, &c. Nec mireris, quòd dixerit, Osculetur me, de re præterita, is enim est scripturæ mos. Tunc canet Moses, cecinit. facient vitulum Exod. 16. in Horeb, fecerunt & cõtra, Deus venerunt gentes, venient, multaque similia. Quia meliores sunt amores Psal. 41. tui vino. Diligentes te, quemadmodũ testatur scriptura de dilectione eius, semen Abrahæ diligentis me. est enim discrimen inter diligentem me & dilectũ meum.

3 In odorem. docebat (Abraham) opera immensi Dei, instituebatq; homines suæ ætatis, & quocunque proficiscebatur, ibi inuocabat nomẽ domini. Hinc illud, Unguentum effusum nomen tuum. Propterea puellæ. Puella sunt adolescentula, quæ carent viro. Sic viros, qui carebant Deo, induxit in confessionem unitatis Dei. ut significatur loco Genes. Et animas, quas Gen. 12. fecerant in Haran.

4 Trahe me. attractus enim est ad Deum, exijtque de terra cognationis suæ. Introduxit me rex. Introduxit enim eum in terram Chanaan. Præterea consen-

taneum est, quod ipsum sapientem fecerit, adeo ut in rerum occultarum mysterijs perstaret. Odorabimus amores tuos. innuit altare omnibus in stationibus edificatum & plantationem Luci in Bersabea.

5 Nigra sum. attingit seruitutem Ægyptiacam. Etiam si nigra sum nonnullis meis operibus, tamen venusta sum obseruatione fœderis & unitatis Dei.

6 Ne despiciate me. Sol adumbrat exilium Ægyptiacum, quis verò causam præbuit ut percuteret me sol? homines matre mea orti, qui cōstituerunt me custodē, ut leges extraneas mea relicta seruarem. Hoc explicatū reperies apud Ezechielem, ubi eos admonet respiscētia, quod nonnulli eorum colerent Idola & ait, ut effundam furorem mentis super eos & perficiam iram meam in eis in medio terra Ægyptiaca, &c.

7 Indica mihi. Penitentia enim conuersi sunt peccōtantes. Quo pacto pascebāt patres, ut complectamur vias eorum, nec immisceamur dijs alienis, quos tui similes esse prædicant. is est sensus τὸν ad greges sociorum tuorum.

8 Si nescis. hæc & similia respondebat vates, qui illis in Ægypto vaticinabatur, quemq; nonnulli Aaronem fuisse dicunt, dicente scriptura, Mitte quæso per manū (quem) mittis, mitte quæso per manum illius, quem quouis tempore mittere soles. Hædos tuos. paruulos fide, quibus non est cognitio idonea.

9 Equæ. Incipit Propheta Israëlitas alloqui ex Dei omnipotentis oraculo, Equæ in curribus. Item, pulchre sunt genæ tuæ murænullis, hoc sensu. Egredieris ex Ægypto onusta

onusta vasis argenteis & aureis atq; vestibus. 12. Cui Ecclesia Israëlita, Interea dum, Rex in accubitu suo, cum deducebat me ad Dei mōtem, tunc suum nardus mea spirauit odorem, nempe fumum incensi. Inter vbera mea pernoctabit, inter Cherubim aut etiam in medio castrorum Israëlitis.

14 Botrus cypri. Hæc allegoria de diuina maiestate debet intelligi, quæ superiorem Ecclesiæ sermonem intercipiens, quia id cogitasti, inquit, pulchra es, ubi Ecclesia, adhuc consternam lectum, nempe adem, cum me introduxeris in terram Israëliti promissam.

COMMENTARIVS IN- nominati cuiusdam.

Canticum Canticorum, hoc est, excellentissimum omnium Canticorū, quæ confecit Salomon. Scriptum enim, Et locutus est Salomon mille parabolas & Cantica quinq; & mille. Istud autē omnium fuit præstātissimum. Quod Salomoni. q. d. quod cōfecit Salomon Rex. Obserua verò Salomonis nomen, quod nominatim extat toto hoc libello esse profanum (nec Deū connotare). Et quidē illud, Et est Salomon Rex, quem admodum suo loco exponam. Osculetur me osculis oris sui. Audite quæso, & pax sit rebus. Non spectabat Salomon ad res venereas & amores uxorios. Sed amor summi opificis erga Israëlitem est amor dilecti erga dilectam similes. Nam non habes amorem isto vehementiorem, ut declarauit Dauid de Ionathan, mirabilis est dilectio

Capitulus 2.
gyptiaca.

Eze. 20.

Exod. 4.

Vocatio synagoga.

3R. eg. 4.

Infra. cap. 3.

dilectio tua mihi præ dilectione mulierum. Totus autem liber loquitur usurpata similitudine, vel potius parabola dilecti & dilectæ, quemadmodum & Ezechiel (וַאֲעִבֹר) & transibo super te & cernam te, & ecce tempus tuum tempus uberū (amorum) & expandam fimbrias meas super te & tegam nuditatem tuam, &c. & induam te phrygionico & calceus tuus, &c. & adorabo te ornamento & imponam armillas manibus tuis & torquem collo tuo, &c. Nā illis in metaphoris multum perseverat. Ac sic quidem loquitur hoc loco, quæ gerit speciem dilectæ, Ecclesia Israëlita. Quis perficiet, ut osculetur me dilectus meus osculis oris sui. Nam meliores sunt amores eius vino. Latitia nempe nulla omnino celebrior est quàm epularis, & in epulo vinum præcipuam conciliat voluptatem. Et proinde nominat vinum, atque tangit presentiam mutuam. De absentia autem sponsi sequitur.

Ecl. 7.

3 In odorem unguentorum tuorum, talis metaphora qualis in Eccles. melius est nomen, quàm unguentum bonum. Nam præclara existimatio & fama similis est unguento suavi. Cùm ergo ait. Unguentorum tuorum, perinde est atque si diceret, fama tuæ præclara.

Vnguentū effusum nomen tum שמן, unguentum, masculini est generis. חורר autē (effusum) est adiectivum epithetum ad formā חורר incola, etiā si hoc signetur holem, istud scirec. Ita censuit R. David kimhi fausta recordationis. Sententia autem huius scripturæ talis est. Propter odorem fame tuæ præclara. (Existimatio

matio enim & nominis celebritas consimilis est unguento effuso) propter odorem inquam fame tuæ adolescentula & virgines dilexerūt te, ac una earū quæq; tibi inquit, Trahe me post te, & omnes nos curremus post te. Vnaquæq; etiam earum dicit, quod sequitur. Etiā si introduxerit me Rex in conclauia sua, plus tamen Exultabimus & lætabimur in te si simul versemur, & commemorabimus amores tuos, qui meliores vino existunt.

4 Commemorabimus נוכירה, odorabimus, olfaciemus. וְאוֹכֵרְתָהּ odor, q. d. odorabimus odorem tuum suauem. In reſtitudinibus dilexerūt te. ait dilectæ dilecto suo sponſo, amore reſtitudinū, abſq; fuco & fraude, dilexerunt te virgines.

5 Nigra sum. dilectæ laudat ſeſe apud filias Hieruſalem ſocias ſuas, atq; ait. Quamuis ego videar vobis nigra admodum, ipſa tamen ſpecioſa ſum: ſiquidem me exornem. Quamuis ego appaream velut tabernacula Cedarenorum, quæ atrore perfuſa ſunt, ſi velim tamen, me pulchram efficiam, meque candore afficiam inſtar Salomonis cortinarum, quæ ſunt candidæ.

6 Subnigra, nigra ſum & non nigra. vocabulum enim Heb. שחורר hoc ſignificat. Quia conſpexit me ſol. vox Hebræa exponēda, ut in Iob, & non שופתו conſpexit eum oculus Pice, de ſignificatione proſpectus, & viſionis. Exarſerunt in me. נחרו rixati, altercati ſunt mecum incendendo contentionem. Totius verſiculi ſenſus eſt. Ne ſpectetis me, neque deſpicemini, quod ſim nigricans, dum percuffit me Sol, meque nigrore

F tinxit

inxit. Nam filij matris meæ, id est fratres mei incensi sunt rixa & cōtentione aduersum me, & posuerunt me custodem vinearum, etiamsi huiusmodi custodia nō essem assueta. cū præsertim ne meam quidem vineam unquam seruauerim.

* vbi.

7 Indica mihi, in votis habeo id unum, ut sciam * quo modo pascas oues tuas, loquitur autē metaphoricē atq; si dilectus esset pastor, & dilecta pastrix. Et quomodo stabules in meridie oues tuas, in aestu & uehementia diei. Nam quare ero velut errans, & circuens iuxta greges sociorum tuorum, & laborabo fatigaborq; inueniendo te. שלמה quasi שלמה, nam cur, cui par est שְׂקִמְתִּי עַד donec surgerē. Errans. עוֹטִיהּ de significatione circumeūdi, ut ועוֹטֵךְ עִמָּךְ.

Iud. 5.

8 Si nescis tibi ô pulcherrima mulierum, ubi ego pascam, Egredere tibi & incede in vestigiis ouium & pascere agnos tuos, & inuenies me, super habitacula pastorum. q. d. Tabernaculum meum stat superius sublimiùsq; uniuersis tabernaculis pastorum. Comparat autem dilectam pastrici, quæ pascit agniculos: quòd soleāt mulieres pascere paruos agnos, qui non opus habent labore & fatigatione.

9 Equitarui meo in curribus Pharaonis. לְסוֹסוֹתֵי equæ, iod enim vocis illius superfluit. Sic autem dilectus alloquitur dilectā, ô socia mea ego assimulaui te equæ præstanti, quæ ducitur in curribus Pharaonis. Ac apud me dixi,

10 Quàm decoræ sunt genæ tuæ in murænulis, nulla est tibi similis, חוֹרִים debēt exponi pro sentētiæ exigētia, ut sint tintinnabula annexa frenis equinis no-

וּגְמִים

uorum

uorum equitum. Et collum tuum est decorum monilibus, lapillis preciosis coruscantibus.

11 Murænulas aureas faciemus tibi, q. d. propterea quod vidi hæc te decere, dixi me ea tibi confecturum ex auro: in auro autem ipso spargentur punctula argentea.

12 Vsq; quo Rex in accubitu suo. hæc ait dilecta se ipsam laudans & dicens, Nardus meus misit odorem suum. Vsq; adeo autem uehemens est odor nardi mei, ut peruenerit ad Regem, qui sedet in suo accubitu una cum sociis suis. 13. quamuis odor dilecti mei sit uehementior, & sit similis fasciculo myrrhæ, cuius odor maior est nardi odore. Ecquis verò perficiet, ut inter mea ubera pernoctet delectus meus?


14 Botrus cypri dilectus meus mihi. Copher vocatur vernaculè Serihho, & suauiter fragrat. In vineis Engaddi. Nam ista cyparis crescit in vineis Engaddi, quo nomine vocatur urbs Sippori.

15 Ecce tu pulchra amica mea. Redit dilectus ad laudationē ipsius. Oculi tui columbini. oculi tui similes sunt oculis columbarum, quæ non conuertunt oculos, nisi ad suos coniuges. Sic tu non nisi coniugis oculos tuos in me.

16 Ecce tu pulcher. Reuertitur dilecta ad laudandum dilectum. Etiam lectus noster virens, etiam decet ut lectus noster sit vernans ut ambo pariter oblectemus nos uno in cubili. 17. Sunt autem trabes ædium nostrorum cedri & contignationes domus nostræ abietes, בְּרוֹתִים per ת ut בְּרוֹשִׁים per ש, abietes.

F 2

CAP.

1  *Sponsa.* Ego sum rosa Saronitidis, lili-
um vallium.

2 *Sponsus.* Vt liliū inter spinas, sic
amica mea inter filias.

3 *Sponsa.* Qualis est malus inter arbores sylua-
nas, Talis est dilectus meus inter filios: vmbra
eius desideravi & confedi, fructusq; eius dulcis
est palato meo.

4 Adduxit me in cellam vinariā & vexillum
eius ^a super me amor.

5 Fulcite me lagænis, cōsternite me malis, nam
ægra sum amore.

6 Sinistra eius subter caput meum, & dextra
eius amplectitur me.

^a *Venatorum*
iuramentum. 7 *Sponsus.* Adiuro vos (ô) filiæ Ierusalem, ^b per
capreas aut per ceruas campi, ne excitetis, & ne
expergefaciatis ^c amorem, donec cupiat.

^c *Delicias*
meas, i. amicā. 8 *Sponsa* Vox dilecti mei, ecce hic venit, saliens
super montes, saltitans super colles.

^d *Velocitate*
scilicet 9 Similis ^d est dilectus meus capreæ, aut hin-
nulo ceruorum, ecce hic stat post parietem no-
strū. prospicit è fenestris, ^e prominet è cancellis.

^e *Progermi-*
nat propriè et
enascitur mo-
re fruticum. 10 Respōdit dilectus meus & dixit mihi, surge
tibi amica mea, pulchra mea & abi tibi (rus).

^f *Veris ele-*
gans descrip-
tio. 11 Quia ^f ecce hyems præterijt, pluuia trāsijt,
abijtq; sibi.

12 Flores visi sunt in terra, tempus cantillatio-
nis

nis appetijt, & vox turturis audita est in terra
nostra.

13 Ficus produxit grossos suos & vites (pro-
duxerunt) gemmam, dederunt (que) odorem:
surge tibi amica mea, pulchra mea & discede
tibi (rus).

14 O colūba mea (quæ agis) in rimis rupis, in
latibulo gradus, ostende mihi aspectus tuos, fac
me audire vocem tuā. Nam vox tua suavis (est)
& aspectus tuus optatus.

15 Prehédite nobis vulpes, vulpes paruas, quæ
demoliuntur vineas, dum vineæ nostræ sunt
g flos.

16 Dilectus meus est & ego illius, qui pascit in
liliis.

17 Donec aspiret dies & fugiant vmbre, con-
uertete te, (assimila te dilectæ mî capreæ aut hin-
nulo ceruorum) ^h ad montes Bather.

^g *Vna minuta*
gemma.

^h *Ad montes*
sectos et rup-
tos refrigerij
causa. Nā Ba-
ther sectionē
significat.

INTERPRETIS
obseruationes.

1 Ego sum rosa quæ in planicie Saronia crescit. Est au-
tem Saronitis planicies à Casarea ad Ioppem vsq; , ut
scribit Hieronymus. de hoc mētio fit Esa. 33. & Actorū
nono. Videntur autem hæc sponsæ verba, etiam si alij
magna ex parte hîc sponsum loqui velint.

2 Vt liliū. Susannā Hebraicè quibusdam rosam
significat, contra חבצלת, quod vertimus rosam, liliū.

Nam Susanná, inquit, oriri inter spinas híc dicitur. Hac de re sic Elias in tisbi, Quidá, inquit, aiút, susanná florem esse candidú, qui vulgo liliú dicitur atq; ita vocari, quòd perpetuò habeat sex folia. Habat seletb verò esse rosam. Atqui id mihi videtur alienum, cum præsertim legamus, ut susanná inter spinas, & lilium non sit inter spinas. His opponim⁹ D. Hieronymú & veteres Græcos, qui scribunt susanná linguâ punicâ esse lilium, & à lilijs Susas, urbem de qua in Ester, vocatam esse, ut & oleum Susinum, quod confectum est ex lilijs. Cæterum his similibus significatur suauitas ecclesiæ. quantum præcellit lilium spinas, tantum Ecclesia cæteros hominum cætus & concilia.

3 Quantú malus præstat arboribus syluestribus & odore & gustu, tantum Christus reliquis omnibus. Hinc illud, speciosus forma præ filijs hominú. Ps. 45. Vmbrâ eius expetiui. persistit in mali arboris metaphora, umbra virtus altissimi. Luc. 1. Fructus verbú Dei. Quàm dulcia sunt, inquit, eloquia tua faucibus meis.

4 Per cellam vinariam Hebræi sanctuarium, ubi libabatur domino accipiunt. Nos arcana domini, quæ animos hominum inebriant. Vexillum eius super me amor. vexillum quo congregat & attrahit Ecclesiam, amor est. Non enim dedit nobis spiritum timoris, sed amoris & dilectionis. ut Paulus inquit. Metu & timore olim magis homines ad suæ legis obseruantia pertraherat. vide Epistolam ad Hebræos. cap. 12.

5 Fulcite me lagenis. תַּשְׁכֵּן sunt lagenæ, Chaldaicè verò fundamenta, vnde Chaldeus interpres híc
ita

ita accepit. Pro ignibus, qui fessum fouent, Midras fulcite me lagenis vinarijs, sternite mihi veluti strati loco mala, quorum odore ipsa recreer. vino enim aut odoribus defectæ vires refici solent, ut indicat Salomon Proverb. 31. Consolationes autem quæ petuntur è verbo domini & fide his duobus significantur.

6 Gestus amplexantis per dextram & sinistram innuitur. significat igitur signa cõiunctionis Christi cum Ecclesia, ut verbum, sacramenta & cætera externa, quibus tanquam pietatis retinaculis suos in quadam vitæ communionem continet.

7 Hæc dicuntur more pastorali. Septuaginta autem verterunt. Per exercitus & robora campi, quasi legerint תַּשְׁכֵּן. ut Ps. 22. Et sanè nonnullis capræ & hinnuli sunt híc cælestes exercitus & virtutes.

8 Hic versus intelligitur de ope, quam dominus cum tẽpus est suis offert. Magna est celeritas, inquit, Christi ad opem ferendam Ecclesiæ, eamq; visendam.

9 Post parietem Ecclesiæ siue sponsæ stans inducitur, ut de improviso nobis opem ferre, & quasi inscijs hostibus præsto ad esse intelligatur.

11 Veris elegans descriptio. Affertur autem ad hunc sensum, quo Christus Iob. 4. cum significare vellet aduenisse tempus promovendi Euangelij ait, regiones albas iam esse ad messem, Ait verò hyemem trãsijsse, pluuiam abijsse, ut ostendat omnia vetera præterijisse, & nouis succedentibus abire in melius.

12 Iam, inquit, tempus Veris apparuit, iam apparuere signa salutis vestra, imò verò iam allata sunt. Per flores initia

initia bonorum operum & fidei intelligit. Tempus cantillationis auium. Aues enim verno tempore garrere solent. Nostri & Greci עוֹר non cantillationem, sed putationem interpretantur. Atqui arbores alio quouis tempore potius putantur, quam verno. Itaq; prior conuersio est longè potior, nisi cum nostro Epiphanio contra Catharos hæresi s9. tempus sectionis putationisve intelligas, quo veteres vites amputatæ sunt. Alioqui עוֹר utrumq; significat. Cæterum garritus auium plurimum facit ad veris commédationem. Peregrè quippe proficiscentibus, camporumq; virore captantibus gratus & iucundus esse solet, præcipuè autem turturis in terra Isrælica. Sicq; describitur prædicatio verbi Domini, in quo denuntiando vel ad laqueos vsq; laborant pij Ecclesiastæ. Alij per cantillationem laudem Domini & confessionem accipiunt.

13 Gemmam ספיר propriè racemū significat, qui primū exuto flore dignosci incipit. Paulo enim grandior & tamen acerbus, quem Greci vocant omphacem vocatur בוֹסר, ut iam maturus, עֵנַב.

14 Hic sponsam comparat columbæ, propter simplicitatem & fidem coniugij, de qua Aristoteles lib. 9. de histor. animalium cap. 7. O columba mea quæ agis in latibulo gradus siue in scalis & quasi gradibus, seu in rupibus præruptis, ostende mihi faciem tuā. Quod pertinet ad Ecclesiam, quatenus querit latebras, ut fugiat persecutiones. Facies autem siue aspectus Ecclesiæ, ut scriptum reliquit Carolus magnus quodam loco, cognitio virtutum eius est, cuius pulchritudinis venustate

te

te ab sponso diligitur, cui per prophetam dictum est. Quoniam concupiuit rex speciem tuam. Hortatur ergo Christus Ecclesiam, ut faciem suam ei ostendat, id est, ut semper eum contempletur fide & operibus, ut cum Elia dicere possit. Viuit Dominus in cuius conspectu sto, ne sit de illis, quos per Prophetā denotat dicens, Verterunt terga ad me & non faciem. Hortatur etiam, ut vox eius sonet in auribus illius: quia paratus est ad exaudiendum sanctos suos. Psalmista attestante, Clamauerunt iusti & Dominus exaudiuit eos & ex omnibus tribulationibus liberauit eos. Vocem eius dulcem. Quia orationes sanctorum semper Deo acceptæ sunt. Atque hæc quidem ille.

15 Per vulpes Hebræi intelligūt Egyptios. Nos eos omnes qui interea dum vinea nostra gemmam profertur. i. Ecclesiæ aliquam bonorum operum frugem pollicentur, gregem domini sectis & factionibus infestant, aut etiam persecutionibus à recto auertere moluntur.

16 Dominus pascit gregem suū in lilijs hoc est, suauissimo & cōmodissimo pasuo, aut ut alij volūt per loca florida & amœna, de quo vide Esa. 30. & Psal. 23. Dominus pascit me. Alij passuè interpretatur. Dominus pascitur inter lilia & loca amœna. Posset traduci ad futurā vitam, de qua scriptum Apocalyp. 7. Non esuriēt ultra neq; sitient, non cadet super eos sol aut ullus æstus, quia agnus qui est in medio throni pascet eos, deducetq; illos ad viuos aquarum fontes, abstergens omnem lachrymā ab oculis ipsorum.

17 Donec aspiret dies, & fugiant umbra, conuerte te

G

ad

ad montes Bather, dum aestus vigeat capta umbras montium sub auroram enim hac videntur dicta. R. Selomon & Chaldaeus hac in malam partem accipiunt, quasi sponsa sponsum à se paulisper dimittere abireque velit. Deinde nonnulli ער pro רוי explicant, hoc sensu, interea dum spirat dies, &c, ut superiore capite, interea dum rex in accubitu suo. Sed nihil est necesse. allusit autem ad ceruam, quae hinnulos suos ad saxa uno aditu rupta identidem ducit, ut quo refugere debeant, agitati à canibus habeant exploratum, de quo Arist. 5. cap. libri noni de historia animalium. Montes Bather. i. diuisionis, adumbrant loca Ecclesiae, quod populum Domini à ceteris diuidant. Sic autem vocat antra & abruptas multifidasque cœcavitates montium, in quas sese pastores recipiunt aestu meridiano, dum vigeat diēi ardor & fugiunt umbra. Fugiunt autem umbra, quia lux, quae tum multa est, fugat tenebras & umbras nullas aut exiguas iactari sinit. Ita fingitur huius eclogae argumentū verno tempore iam progresso, cum ad captandum frigus aestumque depellendum sub montium antris recubare homines cupiunt. Idem tempus supra indicabatur turturū & columbarum gemitu. Plinius. Palumbum utiq; exaudi gemitus, transisse solstitium caueto putes. nisi cum incubantem videris palumbem.

R. SELOMO' IN CAP. II.

Ego rosa Saronitidis. רבצלת est rosa. Liliū valium, quod pulchrius est lilio in motibus crescente. perpetuo

petuo enim humidum & viride est, nam illic vis solis non admodum vigeat.

2 Ut liliū inter spinas, spinæ hoc floris genus transfigunt, ipso interea durante in pulchritudine & vigore suo. Sic amica mea inter filias, quæ eam, ut se sequatur, & similiter post Deos alienos scorretur, pelliciunt, atqui ipsa perstat in fide sua.

3 Qualis est malus, arbor pomifera cum est inter arbores steriles, ceteris omnibus est gratior. fructus enim eius & gustu & odore suavis est, Talis dilectus meus inter filios, inter iuuenes. Allegoria sic habet. Deus Opt. Max. supra cunctos Deos eximius est, proinde umbram eius expetiui, in eaque consedi. In Midras agadā, ab hac malo omnes refugiunt, quod vix faciat umbrā. Similiter reliqui omnes populi à Deo in legis suæ promulgatione aufugerunt, ego verò summo desiderio in umbra eius sedi.

4 Ad domum vini. ad tabernaculum conuentus. Ibi enim speciatim præcepta multa legis cum suis explanationibus tradita sunt. Et vexillum eius super me charitas. congregatio eius, qua veluti ad vexillum attraxit me ad sese, amor est super me. Recordor adhuc amoris & vexilli eius. attrahet, vernacule.

5 Fulcite me. ut infirmam & imbecillam lagænis, cadis vinaceis & modijs similia purissima. Consternite me. consternite pavimentum circum me malis odoris causa, ut fieri solet ægrotis, siquidem ægra sum amore eius. Illum enim hic in exilio meo sitio. רפירה qua voce utitur Salomō, sonat sternere, ut in Iob, רפר, strauit

lectum suum super luto.

6 Sinistra eius subter caput meum. in deserto. Et dextra eius amplectitur me. cum itinere tridui contendit ad explorandam illis requiem, & in quieto loco demisit manna atq; coturnicem. Horum omnium recordor nunc in exilio meo, agra illius dilectione.

7 Adiuro vos filia, o vos populi. Per capreas & ceruas. omnibus enim obijcimini & praeda estis velut caprea & cerua. Ne excitetis amorem, qui mihi cum ea intercedit mutando aut inuertendo illum, atque quaerendo pellicere me post vos. Donec placeat, quandiu ipsa in corde meo defixa est, mihiq; est desiderio. Donec placeat, quandiu placebit ut supra, donec rex in accubitu suo, interea dum rex in accubitu suo.

Ne excitetis. Hebraea aliter explicari possunt, ut sit **אם תעירו** ne odio prosequamini amorem. Veluti in **Samuele**, fuit **עירך** inimicus tuus, & in **Daniele**, interpretatio **לעירך** in inimicum tuum. Et ne euigilare faciatis, **תעוררו על שרה** sumi potest, ut alio loco, inclinatur super agrum, cliner vernacule. Extat quidem in **Midras agada** allegoria plurima, verum non satis accommodata ad verborum seriem. vaticinatur enim, mea quidem sententia, **Salomon** & loquitur de egressu ex **Aegypto**, deq; legis promulgatione, tabernaculo, ingressu in terram **Israëlicam**, & de altera, atq; eius excidio.

8 Vox dilecti mei, ad inceptum reuertitur cantor noster, veluti is qui suppressis primis rem ab origine repetit. Equidem, inquit, vobis rei principium non expressi. ceperat enim dicere, induxit me rex in conclavia sua,

sua, neq; tamen commemorat, quo pacto visitasset se in **Aegypto**, quamque amanter & benivolè. Iam ergo rem altius referens ait. Illecebra haec, qua à dilecto tracta, uti dixi, post illum cucurri, sic contigit: desperabam de redemptione, molestè ferens nondum expleri quadringentos illos annos, qui in **Abrahamicâ** iuuentu trimulae partitione declarati sunt, cum vox dilecti mei paulò ante terminum meas aures vellicauit, veluti saliens super montes, & saltitans per valles.

9 Similis est dilectus meus capreae. celeritate cursus, festinanter enim veniebat quasi caprea & tanquam hinnulus ceruorum. Hinnulus cerui egregij. Ecce hic stat. cogitabam me diu in viduitate victuram, cum iterum stare se declarauit & prodire fecit è fenestris caelestibus id, quod mihi contigit, vidèdo, inquit, **vidi afflictionem populi mei.**

10 Respōdit. **ענה** significat respondere & voce clara atque edita conclamare, atq; haec * significatio est omnium princeps, **וענו** & clamauerunt **Leuitae**. Et dixit mihi, per **Mosem** Surge tibi. subducam te ex iniquitatibus **Aegyptiorum.**

11 Quia ecce hyems praeterijt. non iam labor hyemis in via. hyems in **Chaldaea** paraphrasi passim appellatur **סחור**.

12 Flores visi sunt in terra. aduenerunt dies solares, quibus arbores quaeq; funduntur è terra, flores proferunt & suo aspectu viatores impensè oblectant. Tempus cantillationis appetijt, quo aues emittunt cantum, garritumq; viatoribus⁹ dulcem. Vox turturis. **תור** enim

1. Sam. 28.

Dan. 3.

Gen. 15.

Exod. 3.

* Lego enim

ענין non

בנין

in communi significato debet accipi, ut תוריים turtures & columbi. Solent autem aues mense Martio canere atque garrere.

13 Ficus produxit grossos suos. verba Hebraea hoc sonant. Gemmam. סמרה appellatur uua, cum flore excidente uua à se inuicem discernuntur & dignoscuntur. Porrò tota hæc sententia iuxta sensum literæ dilectionem persuasionis & illectamenta, quibus iuuenis sibi desponsatam pertrahere post se cupit, continet. Sic enim, erga me se gessit dilectus meus. Nã 10 Respondit dilectus meus, ministerio Moysi. Et dixit mihi per Aaronem. surge tibi, diligentem tete exhibe, singuliq; proximũ suum rogent. 11 Quia ecce hyems præterijt, illos quadringentos annos præterire feci, ducto numerationis initio ab ortu Isaac. Pluuia, quæ est incommoditas hyemis, pertransijt & abiit sibi, hoc est, octoginta sex anni, qui acerbæ seruituti vestre destinati erant, exceßerunt. Ex quo nata est Maria auxerunt Ægyptij seruitutem Israël, unde id ei nomen ab amarore fuit. 12 Flores in terra visi sunt, Moyses & Aaron vobis præsto fuerunt ad omnia necessaria. Tempus cantillationis appetijt, quo haberetis Canticum, iuxta mare. Et vox החור, ductoris magni, aut * ordinis appetijt enim tempus exitus vestri ab Ægypto ueluti in orbem.

13 Ficus produxit grossos suos. appetijt ingressuris terram tempus offerendi primitias. Et vites, propinquauit tempus libandi vinum. Expositione alia significantur pij, qui inter vos protulerunt produxeruntq; in conspectu

Allegoria.

Exod. 15.

* Gal. le tour

spectu meo bona opera & odorem suauem. Surge tibi. surge ut recipias decalogum. Alia expositione per Ficus produxit grossos suos, intellige præuicatorum Israëlitas, qui illo caliginoso triduo perierunt. Vites autem erunt illi qui superstites acta pœnitentia traditionibus patrum imbuti sunt. Ita allegoria pertractata est in Pesiktá.

14 Columba mea in rimis rupeis, hoc pertinet ad illam horam, qua eos insequutus Pharaon assequitur, cum castra ad mare rubrum metarentur, cum nullus relictus esset fugiendi locus, aquis antè obstaculis, ponè feris bestijs. Tum scilicet similes erant columbæ, quæ fugiens à cõspectu accipitris rimas rupium subit, ubi eam serpens sibilat. Si interiùs se proripiat, serpẽtem metuit: si prodeat foras alitem. Ostende mihi, inquit Dominus, faciem tuam, nimirum reãtitudinem operum tuorum, in quem respicias afflictionis tempore. Audire fac me vocem tuam, de qua, Clamarunt filij Israël ad Dominũ. In rimis. חרוי significat Fissuras seu cõfractiones ut, יחרו, cõfringentur & cõmouebũtur tanquã ebrius. Item, terra Iuda Ægyptijs erit לחוג, in cõfractiõne. Cum autem formatur vox pluralis, dicitur חרוי, ut à קצוי קצה, & in Samuele, excidit מרויהם vestes eorũ. In latibulo gradus. מרגה cochlea, vernaculè eschallier, cum sit fossa circum arces & propugnacula, effuso in altum puluere ad attolendum circumquaque aggerem & gradu undiq; gradui substrato. In latibulo gradus. Ibi enim saepe sunt in foramina, quæ tam reptilia quàm volucres subeunt.

Exod. 10.

Exod. 14.

Psal. 107.

n Feriabũtur,

alijs. Es. 19.

o Commotio-

nem, alijs.

2. Sacl. 10.

Pre-

15 Prehendite nobis vulpes, vulpeculas. exaudita voce eorum Dominus indixit mari, ut demergeret Aegyptios hac oratione. Prehendite nobis vulpes tam minores quam maiores, quonia vel parua demoliebatur vineas, interea dum vites nostrae gemmis abundarent. Nam non nisi racemi erant tenues, cum filia Israëlica pariebat marem & recondebat, Aegyptijs in domos nostrorum irrumpentibus, & masculos, qui vix dum annum aut biennium nati abditii erant, quaritantibus. Cui rei & hanc technam adhibebant. adductos infantes ex adibus suis ad loquendum pronocabant & respondentem paruulum Israëlicum è loco ubi abditus seruabatur, corripiebant demergebantq; in fluuium. Vocat autem illos vulpes, quoniam quemadmodum vulpes conuerso vultu retrospicit ut fugiat: ita Aegyptij terga vertere cupiebant, dicente scriptura. Fugiam à conspectu filiorum Israë. Aut **שעלים** hic non vulpes, sed pugnos significabit, ut propterea scribatur absque vau, quippe vindictam de illis sumebat in aqua, quae Dei pugno dimensa est.

16 Dilectus meus mihi. Ipse à me cuncta sibi necessaria requisivit, nihil aliud precipiens quam quod legitur, celebrate Pascha, consecrate primogenita, edificate tabernaculum, offerre holocausta, nec quicquam aliud quaesivit. Et ego illius. Omnia mihi necessaria ab eo quaesivi, non à dijs alienis. Qui pascit oues in lilij, pascuo commodissimo, quieto, & specioso.

17 Donec aspiret dies. Hoc refertur ad proximè precedentem versiculum, Dilectus meus, meus est, & ego illius

illius ad tempus usque, quò excedendi causam praebuit iniquitas, quoq; aspexit me sol ardente die & aestu inualescente. Et fugiant umbræ, peccauimus in vitulo, peccauimus in exploratoribus. Et fugiant umbræ innocentiae, quae nobis erat clypei loco. Rupi iugum eius. Conuertete, similis esto dilecte mi, causam illi dedi ut à me abriperetur ad montes disiunctissimos, Bather enim significat partitionem & diremptionem.

COMMENTARII ABBEN

Ezrae in 2. Cap. Cant.

1 Ego rosa. **הבצלת** quorundam sententia rosam significat. Alijs est flos eximius odore fragrantissimo, specie nigricante. Liliū. **שושנה**, ut quibusdam placet, flos est candidus, cuius odor suavis & interea calidissimus, adeò ut capiti officiat, quod est vero consensaneum, deducitur autem à **שש**. sex, perpetuò enim sex sunt illi folia alba. Præterea in medio illi veluti ramus est, longa habens folia, eaque etiam sex. Sensus ergo est, labia mea rosa sunt odore, non autem specie.

3 Qualis est malus, de genere arborum pomiferarum.

4 Vexillum eius super me amor. **דגל** est vexillum, ^{Num. 2:} ut in numeris, **דגל**, vexillum castrorum Iuda.

5 Lagenis. **אשישות**. sunt vasa vitrea vino plena. Consternite me. **רפרוני** nonnullorum quidem opinione, ponite in pavimento mala, **ור**, **רפירחו** pavementum ^{Cant. 3:} eius aurum, **ירפר** instrauit aurum super luto. hæc enim ^{Iob. 41:} significant consternere. sed quia id hoc loco est paulò a-

H lienius,

lienijs, s'esum mutuo ex lingua Ismaëlica, roborate me.

7 Per capreas. צבי, caprea, pluralia duo habet, masculinum, צבאים caprea super montes. fem. צבאות.

Leu. 11.

8 Saliens. מקבץ ex Chaldaea paraphrasi hoc significare deprehenditur. locus enim Leuitici, ad saliendum illis, transfertur לקבצא בהון

9 Hinnulo ceruorum. ceruulo. Post parietem nostrum. כותל parietem significat, ut Ezra 5. lignum positum est בכחלתא in parietibus. & sic חרכים Chaldaice fenestras, unde locum illud scriptura, ex fenestra, Chaldaeus reddit מן חרכא: similiter סחו, hyemem. hinc fit ut Chaldaica huius loci, estas & hyems, sint estus & סיותא.

Esa. 2.

10 Pertransijt. Heb. חלף excisa est, ut, Idola funditus וחלף excindet.

12 Flores. נצניו flores significant, ut ascendit נצן flos, nun autem posterius paragogicum est. Cantillationis. וסיר sic accipitur ut וסיר, cantillatio praedonum respondet, significat scilicet, cantus auium. sunt etiam qui sumant pro putatione, ut in lege, vineam tuam לא תומר non putabis. Sed putatio non hoc, quod describit, tempore, accidit. Turturis. חור, communi significatione accipitur ex plurali, תורים & columbi.

Gen. 50.

13 Produxit. חנטה dulces protulit. aut ut alij exponunt, instar pulueris procreauit ex Genesi ויחנטה puluere aromatico condierunt medici, &c. Grossos suos fructus adhuc immaturos. פנים enim hoc etiam significat lingua Ismaëlica. Gemmam, cum erumpit flos vinea.

14 In

14 In circuitibus rupis. חוגי sumitur, ut in lob, חוג circinnatio terra. Hæc enim vox significat sphaeram & ambitum, qui terram cingit, etiam si habeat literas transpositas, aut duo sunt themata eiusdem significationis. Gradus מדרגה significat gradum, ut & ceciderunt המדרגה gradus, & ita Onkelos locum illud ubi legitur, non ascendes gradus, reddit, non ascendes inquit, בררגין per gradus. Eadem quoque graduum appellatio apud Ismaëlitas. Dulcis, ערב sic explicatur, ut hoc loco, וערבה & dulcis domino, hoc est bona & optata. Optatus, expetendus oculis.

In rimis.

Iob. 21.

Eze. 38.

Pro. 3.

Ezech. 5.

Ecl. 5.

Separationis.

Gen. 15.

15 Prehendite אחוזו imperatiuus est, quali notatione Psal. 31. אהבו diligite dominum, & alibi שחרו, donate mihi. Demolientes, מחבלים perdentes, ut in Ecclesiaste, וחבל & perdat opus manuum tuarum.

17 Donec aspiret dies, ventus diei. Montes Bather motes partitionis, à themate ויבחר & dispersit est ea per medium. q. d. ut separetur à nobis ventus.

INTERPRETATIO AL tera, nempe dramatis.

1 Ego. propterea equidem nunc sum foris sicut rosa Saronitidis, cum tamen nemo sit qui olfaciat.

2 Ut lilium. verba sponsi, non compararis flori vallis, qui facile carpi potest, sed rosa quæ est inter spinas.

3 Qualis malus. verba sponsæ, versiculis his coherentibus cum voce desideravi. optavi sedere in umbra eius & ut introducat me in conclaue vini & ponat

H 2 vexillum

vexillum suum super me & loquatur in prospectu omnium ac ostēdat amorem suum, admouens sinistrā suam capiti meo & adiurans filias Ierusalem, ne excitent me, quousq; peruenerit tempus desiderati amoris. Hac autem adiuratio sumpta ex eo est, quod desiderium comparatur caprea, ut in Prouerbis, cerua amorum & Caprea gratia, ob pulchritudinem, mūdiciem & nigrorem oculorum, veluti inquit. Adiuro vos per vestri similes pulchritudine. Absoluta hac sectione domum suam, ut his verbis intelligi potest, Trabes domus nostræ cedrinæ, perit, ipso eam cōsequente, quo tempore foras procedimus oblectādi animi & flores spectādi gratia.

8 Vox dilecti mei. significat se ex præstanti saltatione & celeritate deprehendere strepitum pedum eius.

9 Similis est dilectus meus caprea celeritate.

10 Respondit dilectus meus & ait, quæ tota hac sectione consequuntur.

14 Præterea Columba mea, inquit, In rimis rupis. Latitas domi, ut prospectare te nequeam, sicut columba quæ in rimis petrae se condit. Ostende mihi vultum tuum. è fenestrarum una, aut Audire fac me vocem tuam & indicato mihi quid agere debeam. Respondens sponsa ait puellis suis,

15 Prehendite nobis vulpes, hoc sensu, agite, custodite vineam à vulpeculis. Illic enim pernoctare volo cum dilecto meo qui pascit in lilijs ductus suauis odore floris huius. 16 Tu verò o dilecte mi donec Aspiret ventus diei & crescant dies (hoc enim significat Et fugiant vmbrae) proficiscere ad montes Bather.

Tacite

Tacite indicat sponsa iam non posse se egredi foras, ut inde intelligamus sponsum iter suum cōtinuasse, quem admodum & præmonuerat. Hactenus sectio.

EXPLICATIO TERTIA, quæ allegorica.

- 1 Propterea, inquit sponsa, nunc rosa similis sum, quæ est in Saronitide loco plano & campestri, quam quilibet carpit, Item ut liliū, quod calcatur pedibus, paueo.
- 2 Hic Deus, dabo operam ne malum te afflicter, uti lilio spina nihil afferunt incōmodi. cui Ecclesia Israëlica.
- 3 Si serues me, assidebo assidue ad vmbra tuam. Fructus eius, cum audio omnia præcepta tua.
- 4 Domum vini. ad eam domini, locum ubi libatur domino. porrò lagæna & mala adumbrant cantores. Solent enim verba prophetica cōparari Lacti & vino, ut sibi edificauit domum sapiens fœmina, miscuit vinum suum & insuper mala aurea.
- 6 Sinistra eius subter caput meum. holocaustum vespertinum & matutinum.
- 7 Adiuro vos. Illud est quod scripserunt doctores nostri filios Ephraim egressos ex Aegypto antequam aduenisset præstitutus annorū terminus, ut hoc tō donec velit, indicet. Occisos autem eos, quod scriptū sit, luxit Ephraim pater eorum. Per capreas. quemadmodū sanguis Ephraimidum permissus est fundi, ita sanguis vester fundetur, si quidem excitaueritis ante terminum.
- 8 Vox dilecti mei. Id cum apparuit Dominus in

H 3 Sinai

Sinai factum est. Saliens super montes. super montem Sinai.

Exod. 3.

9 E fenestris. e sede habitationis sue, prospicit e fenestris firmamenti, iuxta illud, videndo vidi afflictionem populi mei.

10 Respondit dilectus meus. dixit enim Israëlitis, subducam vos, &c.

Nab. 1.

11 Quia ecce hyems præterijt, allegoria de exilio. pluuia autē significatur dies nubilus, videlicet angustia & afflictio in qua erant. Simili metaphora dicitur dies nubis & caliginis.

Exod. 15.

12 Flores, sic appellatur qui inter Israëlitas iusti sunt. Tempus cantillationis. quo habeas Canticum. Vox turturis. Heb. *רוח* etiā ordinem significat gal. le tour. quum aduenit, inquit, ordo Israëliitarum.

13 Ficus produxit grossos suos. in terra Israël, tempusq; est offerendi ex ea primitias. Et vites, vini libandi gratiā. Aut comparat eam ficui, quæ produxit grossos suos & viti quæ in gemmis est, quia scriptū est, Tanquam racemos in deserto inueni Israëlitas, sicut primitias in primitiuis suis.

Exod. 15.

14 Vocat autē eam columbam suam, propterea quod exijt ab Egypto, cum verò ait, In latibulo gradus, significat Israëlitas absconditos fuisse in nubibus. Ostēde mihi vultum tuum, id scilicet est quod scribitur. Crediderūt in dominū. Audire fac me vocem tuā. hoc etiam completum. scriptum enim, Tum cecinit Moses & filij Israël. aut alluditur ad, id quod profitebatur Israëlitæ. faciemus & audiemus, quod est verisimilius.

15 Pre-

15 Prehēdite nobis vulpes. cultores vituli, qui perdidērunt vineam domini, nempe Israëlitas, cum vinea illa adhuc esset in flore.

16 Dilectus meus mihi est & ego illius. quia interfecti sunt cultores vituli, quiq; inquirebant in verba diuina maiestatis. in lilijs, designantur iusti.

17 Donec aspiret dies & fugiant ymbrae conuerte te. proficiscere. Ad montes Bather. Sentētiā horum verborū hanc esse puto. Non ascendam, ait Dominus, in medium tui, Moses autem prehendet tentorium ac sibi extra castra tendet.

COMMENT. R. INNOMINATI.

Ego lilium campi. Dilecta glorians apud se inquit, Ego similis sum lilio campi, qui flos crescit in planis locis & campestribus. Et rosa, quæ nascitur in vallibus. Habaseleth vernacula lingua liliū, Susannā autem rosa. Tamē R. David Kimhi cōtrā interpretatur.

2 Sicut lilium, dilectus dilectam affatur. Ne compares tete lilio camporum, & rosæ conuallium, quæ simul magno numero illic pariuntur, sed tu consimilis es rosæ quæ inter spinas gignitur, quæ est singularis, nec habet parem pulchritudine & forma.

3 Sicut malus inter ligna sylvarum. Iterum hoc dilecta pronuntiat de dilecto. Cæterum narrat socijs suis & ait. 4 Semel introduxit me dilectus meus in cellam vinariam, ad conuiuium, & nos ipsos oblectauimus unā. Et vexillū eius super me dilectio fuit, & hanc quidem dilectionem nunc recolo.

5 Sum

5 Sum autem infirma & animi deliquio consternor, at vos, obsecro, fulcite & roborate me cadis, amphorisue vini. Vinum enim homines solet confirmare. Conficite etiam ante me pavementum pomorum, ut solet fieri egrotantibus.

6 Læua eius sub capite meo, tunc (in illo cōiuiuo) fuit. Quam dilectionem ego dum recordor, planè agra sum animo.

7 Adiuro vos filia Hierusalem. Dilecta affatur socias. Ego adiuro vos per vitam vestram, quæ estis similes capreis ceruisue camporum. Si ex citetis, id est, ne suscitatis, neque euigilare faciatis dilectionem, quæ inter nos ambos mutua existit. Quo ad usque velit ipsa dilectio, ut euigilet ipsa dilectio per sese. Nam statim cum memoria repeto huiusmodi amores, animi patior deliquium.

8 Vox dilecti mei, ecce iste venit. Hæc narrat socijs suis dilecta. Semet occupabat in meo negotio, & audiui vocem dilecti mei, qui veniebat ad me saliens & cursitans.

9 Erat autem similis dilectus meus capræ currenti, & ecce illum venientem post parietem nostrum & respicientem è fenestris, ut me cerneret & prospicientem è cancellis. מצויה & מצויה significant intueri & prospicere. חרכום autè & חלונות ex Chaldaea paraphrasi idem quoque pollent, notantque fenestras.

10 Et respondit dilectus meus & dixit mihi, surget tibi socia mea, & me comitare. 11 Quoniam hyems, siue bruma trāsijt (hoc enim sonat פתח) & tem-

pus

pus pluuia præterijt, trāsijtque. 12 Et flores, atque germina arborum apparuerunt in terra & tempus cantillationis appetijt, quo aues in aruis cantillat, & turturum atque columbarum garritus auditus est in terra. 13 Et ficus eduxit grossos suos & maturauit fructum suum immaturum. Et vinea produxerunt gemmas suas & reddiderunt suauem odorem. Dixitque mihi, Surge tibi socia mea, pulchra mea & veni & comitare me, & simul delectabimur in vineis & hortis preciosis, ut principes solent cum suis amasijs. 14 Columba mea in fisturis petrae, o socia mea, quæ cōsimilis est columbae stanti in rimis cantium & in latebra graduum, ostende mihi vultum tuum & pulchritudinem tuam, & proficiscendo unà oblectabimur intra ipsas vineas.

15 Apprehēdite nobis vulpes. Et ego, inquit sponsa, cum vidi dilectum meum cupere mecum latari in vineis, iussi seruis meis & dixi. Prehendite nobis vulpes illas, quæ labefactant vineas.


16 Dilectus meus mihi. Amatus meus stat propter me. Nam nullos amores habet præter meos. Sed & ego illi, quoniam præter eum nullum amo. Qui pascit inter rosas, perinde odoratus est & fragrat ipse atque si stetisset in medio rosarum.

17 Donec aspiret dies & flet ventus aquilonaris, qui stat deinceps à meridie. Et fugiant umbræ. à sex horis & supra, quibus incipit occidere (dies vel sol) Tumque egrediar post te. Neque enim tempestiuum est exire foras in ipso diei aestu. Interea autem, Reuertar, similis esto dilecte mi, q. d. Egreditor & fruerere de-

I licijs

licijs atq; otio ad illam vsq; horam. super montes Ba-
ther. Montes hi erant noti in terra Israël, sicq; appella-
bantur.

CAP. III.

1  *Ponsa* Super lectum meum in nocti-
bus, quæsiui quæ amat anima mea,
quæsiui & non inueni illum.

2 Surgam nûc & circuam urbem, per
vicos & per plateas quæram, quem amat anima
mea: quæsiui eum & non inueni.

3 Inuenerunt me custodes, qui circumeunt
urbem, quem diligit anima mea vidistis?

4 Propemodum transieram ab illis, donec in-
ueni quem amat anima mea: prehendi eum &
non missum illum faciam, donec eum induxe-
ro domum matris meæ, & in conclaue genitri-
cis meæ.

5 A diuro vos filiæ Ierusalem, per capreas aut
per ceruas agri, ne excitetis, neq; euigilare facia-
tis ^a amorem, donec cupiat.

6 *Sponsus*. Quæ est hæc ascendens è deserto,
tâquam ^b palmæ fumi ^c suffita myrrhâ, & thu-
re, omni (deniq;) puluere aromatarij.

7 Ecce lectus Salomonis sexaginta fortes (ha-
bet) in circuitu suo, è potentioribus Israël.

^d cincti ensi-
^{bus}. 8 Omnes ^d prehensi gladio, edocti prælium,
cuiusq; gladius super femur suum ob timorem
nocturnum.

9 Lecti-

9 Lecticam fecit sibi Rex Salomō è Libani ar-
boribus.

10 Columnas eius fecit argenteas, stratum eius
aureum, ^e ascēsum eius purpureum. *f* Intimum
eius cōstratum amore (amore, inquam,) ^g de fi-
liabus Ierusalem. ^e *Operimen-*
^{um.}
^f *Mediū in-*
^{terius.}

11 Egredimini & cōtemplamini filiæ Sion re-
gem Salomonem, cum corona, qua coronauit
illum mater sua, in die ^h sponsaliorū eius & in
die lætitie cordis eius. ^h *Quo despō.*
sauit Ecclesiā.

INTERPRETIS OB-
seruationes.

1 2 3 *Vis amoris in trāsuersum sponsam abripit, ut
non vereatur noctu vagari. ut enim superiores sermones
interdiu habiti sunt, ita & hi vespere. Per noctes intelli-
ge afflictiones, per lectum sedem Ecclesiæ, per urbem,
vicos, plateas, loca in quibus agere solet Christus, per cu-
stodes pastores cæcos & indoctos aut etiam pestilenti in-
genio & doctrina.*

4 *Dominum inuenire est eius gratiam & spiritum,
qui testimonium conscientijs nostris perhibeat, quod filij
Dei simus, consequi. Illum tenet qui ab eo eiusq; fide &
cōfessione separari non vult. Mater mea & omniū no-
strum est Ecclesia vniuersalis, ut est apud Aug. cap. 11.
lib. 1. confes.*

5 *Hic versus cum septimo superioris capituli idem pla-
nè est, nisi quòd hic loquatur spōsa ne interturbetur som-
nus sponsi: ut ex præcedentibus & sequentibus intelli-*

I 2 *gitur.*

gitur. Illic Sponsus de sponsa.

6 Hæc sunt verba Christi, aut certe gentium mirantium speciem Ecclesie & formam. Kimbi putat esse verba sponsæ narrantis quæ de se sponsus, ubi eam primum vidisset, dixerat. Porro fragrantia, quæ tribuit Ecclesie, ipsius dotes, charismata & gratias adumbrat, fumus odorem bonorum operum, thus suauitatem orationis. Quia sponsus non videbatur probare, quod sponsa sola aude- ret per deserta versari, iam subiicit argumentum à ma- iori. Salomō adhibuit custodes multos ad lecti sui custo- diam, veritus ne quis sibi sponsam eriperet, & tu inter- eà sola audes per solitudines vagari, Ita ferè Hebræi. Nostri, quibus assentior, non putant reprehendi spon- sam, sed eam, quæ inuenta erat in desertis inuitari ad lectum, siue ad sedem Ecclesie Christi, in qua excubias agunt sexaginta fortes, p̄y scilicet pastores. Item & an- geli, à quibus quasi externis nulla est p̄ditionis suspitio, quiq; norunt pugnare, cum satana & reliquis omni- bus periculis ut ignorantia, cæcitatibus. i. noctis.

11 Corona mater redimuit sponsum, id est, omnia illi detulit Ecclesia, quæ ut annotant in Midras pro sponsi affectu nunc dicitur sp̄sa, nūc filia, modò mater, modò soror. Sic in euangelio, qui egerit voluntatē patris mei is meus est frater, soror, mater. Kimbi annotat in Rad. ma- trem Salomonis hīc nationē ipsius dici. Ita per matrem Christi intelligetur Ecclesia tota, quæ Christū sibi de- nunciatū, à singulis Regē haberi voluit. *וַיִּבְרַח*, pro *וְיָבֵר*. Sic Hier. 5. introduxi super matrem, Chaldaus ver- tit *נְיָוָה* catum.

Com-

COMMENTARIVS R. SE-
lomonis in 3. Cap. Cant.

1 Super lectum meum noctibus. In afflictione mea cum sedi obscura totis triginta annis, quibus Israë- lita corruptis erant moribus, Quæsiui eum, & non inueni. Iuxta illud. Non sum in medio vestri & non ascendam in medium tui.

2 Surgam nunc & circuam. orauit Moses. Item ascendit ad Dominum.

3 Inuenerunt me custodes. Moses & Aaron. Quem diligit anima mea vidistis. quid inuenistis in oraculis eius.

4 Propemodum transferam ab illis. prope eorum à me separationem sub finem quadraginta annorum. Cum inueni quem diligit anima mea. adfuit e- nim mihi temporibus Iosue in subiiciendis triginta uno ^{Iosue.} regibus. Prehendi eum & non sinam eum. non mis- sum eum feci quousq; induxerim eum in tabernaculum Silo, ob ea omnia quæ mihi præstiterat.

5 Adiuro vos ô gentes dum inter vos exulo, ne e- uigilare faciatis, amorem dilecti mei, quem de eo con- cepti, persuadendo aut ita seducendo, ut relinquam eum & me ab eo auertam. Donec cupiat, quandiu dile- ctione me prosequetur.

6 Quæ est ista ascendens ex deserto. cum ambu- larem per solitudines, columna ignea & nubes me præ- cederent atq; interimerent angues & scorpiones, exure- rent quoq; spinas & tribulos ut mihi via plana muni-

I 3 retur,

retur, nubibus & exhalationibus in sublime conscen-
dentibus, exteræ nationes, quæ hæc omnia spectabāt &
magnitudinem eorum mirabantur, Quæ est ista, in-
quiebant. quàm hæc insignis, quæ ascendit è deserto!
Tanquam palmæ fumi. alta & sublimis, ut palma.
suffita myrrhâ. alludit ad nubem suffitus, quæ se eri-
gebat in modum palmæ supra altare interius. Instito-
ris. רובל est aromatarius, apud quem omnia unguento-
rum genera uaneunt. Pulverem autem dicit, quia aro-
mata tunduntur & conteruntur, ut in pulueris spe-
ciem comminuantur.

7 Ecce lectus ipsius. tabernaculū fœderis & arca,
quæ in deserto gestabantur. Sexaginta fortes sunt in
circuitu eius. sexaginta myriades circum illud sunt.
Ex fortibus Israël. ex ijs qui pcedunt in preliū, pre-
ter minores viginti annis & maiores sexaginta. Docti
prælium, prælium ipsius legis. Quales sunt sacerdotes,
qui eam lustrāt, castra metantes circum tabernaculum,
edocti ordinem ministerij sui. Cuiusq; gladius super
fæmur suum. Instrumenta armorum eius sunt Maso-
reth & symbola illa, quæ in promptu constituunt, ut à
pueris discantur, item ne Masora obliuioni detur. Ob
timorem nocturnū. ne forte obliuiscantur eius & su-
perueniant eis afflictiones. hinc Psalmus. Osculamini
filium ne forte irascatur & percatis de via.

9 Lecticam fecit sibi. tentorium fœderis, quod
fixum erat in tabernaculo Silo. Fecit ergo sibi lecticam,
thalamum secretum ad gloriam.

10 Stratam eius aureum. lectus & tabernaculum
eius

Traditio ma-
iorum

psal. 2.

eius ad propitiatorium quod erat aureum. Operimē-
tum eius purpureum. purpura enim suspensa comple-
tebatur perticas è colūna in columnam. Interius eius
ignitū, dispositum carbone dilectionis. Arca, propitia-
torij & cherubi atq; tabula. De filiabus Ierusalem.
Israëlitis Deum timentibus & integris.

Constratum
alijs.

11 Filia Sion. Filij, qui ei cōsignati sunt circumcisio-
ne, phylacterijs & simbrijs. Coronā qua coronauit
eum mater sua. tentorium fœderis, quod coronatū est
hyacinthi & purpure coloribus, item vermiculo cocci-
neo. R. Nehemias scribit quendam Rabbinum, Si-
meonem nomine, olim percontatum R. Eleazarum fi-
lium R. Iose, num à patre intellexisset quæ esset sen-
tentia תוּ, Qua coronauit eum mater sua. Respon-
disse verò R. Eleazarum his verbis. parabola est Re-
gis, cui unica est filia, quamq; unice diligit & tanto af-
fectu prosequitur, ut suam vocet filiam. quemadmodū
dictū est. Audi filia & vide. Sape etiā inter oscula &
plexus sororem, ut scriptū est, aperi mi soror mea, a-
mica mea, aliquando etiā eam matris dignatur nomine
ut in Esaia legitur, attendite ad me popule mī & mater
mea auscultate me. Illic enim non אִמִּי . o gens mea,
sed אִמִּי mater mea scribitur. His, admoto capiti eius
osculo, assentiri se significauit R. Simeon filius Iohai.
In die sponsaliorum suorū, die promulgatę legis, quo
sibi coronarunt eum Regem iugo eius recepto. In die
lætitię cordis sui. die octauo dedicationum, quo in
deserto facta est tabernaculi Dedicatio.

psal. 45.

Esa. 1.

ut vacet,
legitur tamen
illic אִמִּי
gens mea.

Com-

COMMENTARII R. ABRAHAM
in 3. Cap. Cant.

6 Tanquam palmæ, tãquam columna, ut Ioëlis. 3. sicut palmæ fumi. sunt qui dicant similes esse palmæ arbori. Pulvere אבקח ut alibi, puluis terræ pedum eius. Institoris. רוכל est negotiator, ut in Ezechiele. Isti sunt רוכליך negotiatores tui.

Iere. 31. 8 Docti prælium. exercitati in prælio, ut apud Ieremiam, sicut vitulus non doctus, non exercitatus.

9 Lecticam. Heb. אפריון non habet simile in scriptura: itaq; exponi debet è commoditate sententiæ pro ade egregia & sumptuosa.

10 Stratum eius, cameram eius. Operimentum eius, peristroma seu aulaum, quod intrinsecus tegit trabes. sic enim ornari solent Regum palatia. Cõstratum. Heb. רצוף dupliciter accipi potest. primò nonnullorum quidem sententia ex libro Esteræ, רצוף pavementum smaragdi & marmoris, vocabulo significante lapidum in pavimento cõstrationem. Deinde ex aliorum opinione ignitum, incensum, ex loco Esaiæ, in manu eius רצוף carbo ignitus, quod mihi admodũ placet, ut suo loco declaraturus sum.

INTERPRETATIO FABULÆ
siue Dramatis.

1 Hæc videbat in somnio. unde ait super lectum meũ noctibus. Quæsiit enim dilectum suum, quousq; eum nacta sit & induxerit in domum matris suæ, adiu-
rans

rans filias Sionias, ne eum excitent. cum verò mane illucescente sequuta illum esset puella, is ea conspecta mirabundus, 6 Quæ est hæc, inquit, quæ ascendit è deserto.

7 Ecce lectus ipsius, sensus est, Salomon rex opus habet multis viris strenuis & fortibus, qui lectum ipsius custodiant. Ob timorem nocturnum, ne forte illius pulchritudine capti latrones rapiant eam, quo igitur pacto sola è deserto ascendit? Prætereà Salomon rex cum duxit dilectam suam, necesse ei habuit edificare palatium & in medio eius versari, & hæc foras vagari non dubitat?

10 Ignitum amore, inflãmatur amore in unã ex filiabus Ierosolimitanis, posito in capite eius diademate. Hæc verò omnia Salomon rex egit, ubi suum amorem persensisset.

INTERPRETATIO TERTIA,
quæ est allegoriæ.

3 Quousq; inuenerunt me custodes, Moses & Aaron, aliquantulum enim transgressa sum & deflexi ab eis, cum ascendens Moses orauit pro nobis.

4 Donec induxero eum, ad arcam.

5 Adiuro vos. etiam si vos comitetur Dominus, nõ poteritis tamen adire possessionem terræ, donec aduenierit annorum terminus. Cum ergo dicerent, ecce ascendimus, quid scriptum sequitur? percusserunt eos & contuderunt. No. 12.

6 Quæ est hæc, Ecclesia Israëlica, quæ ascendit è deserto & cuius fama per prouincias propagatur. Id

K enim

enim significat suffita myrrha.

7 Ecce lectus eius. terra Israël, quæ hodie lectus est Salomonis. sexaginta fortes. sexaginta myriades, quæ venerunt in terram Israël, cum visitauit eos Moses & Eleazar sacerdos.

8 Ob timorem nocturnum. instructissimi erant ad bellum & necabant omnes, ne si illos in exilium expulissent, sibi ab eis superstibus metuerent.

9 Lecticam. postea adificauit Rex Salomon lecticam, templum Domini.

10 Columnas eius stratum eius, indicat abundantiam auri & argenti, scriptum enim est quod illud induxit auro & argento. Operimentum eius purpureum, instar purpuræ, aut certè extrinsecus superinduxit illud purpurâ.

11 Egredimini & videte. alludit ad id quod legitur in historia Salomonis, Congregati sunt ad Regem Salomonem, &c.

COMMENT. R. INNOMINATI.

1 In lectulo meo per noctem, Narratio altera, quæ commemorat dilectam socijs. Semel alias iacebam in lectulo meo, eoque modo expetiui frui conspectu dilecti mei, & quæsiui eum, cogitabam enim quod mecum esset, sed non inueni. Et surrexi supra lectum meum, circumui urbem, & cetera omnia, prout litera sonat.

4 Adiuro vos filiæ Hierusalem per caput vestrum, inquit dilecta, quæ estis similes capreis ceruicis & camporum, si suscitatis, id est, ne excitetis neque euigilare faciatis

ciatis dilectionem, quæ inter nos duos intercedit, donec velit, ipsa dilectio suapte sponte. Nam quacunq; hora recordor illius dilectionis, faucia sum animo.

5 Quæ est ista quæ ascendit è deserto, uniuersa hæc verba sunt sponsæ dicentis socijs. Cum item talem reuertebam & querebam dilectum meum, abij in deserta. Protinus autem cum vidit me admirans, Quæ, inquit, est ista quæ ascendit è deserto & sola deambulat non metuens iniurias & raptum, sicut palmula fumi, sicut fumus excitatus è strue lignorum palmæ, qui recta in sublime ascendit, neq; in hanc aut illam partem inclinat.

6 Ecce lectulum Salomonis. Sic dixit mihi dilectus meus. Ecce lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt, &c.

7 Propter timores nocturnos, quibus timeret, ne aliqui forte veniant affectu ignominia dilectam suam, nocte concubia, & intempesta. Pleriq; enim mortalium obijciunt sese periculis ob amores venereos. Porro Ruth sic iter sola faciebat in desertis.

8 Ferculum fecit sibi Rex Salomon, ut in eo oblectaret sese cum amasia sua. Usque adeo homo alligatur mulieris amoribus. Et tu obambulas sola, neque aliquid pertimescis: Pauimentum eius construit in medio feruli siue palatii aulae auree. Currum eius purpuram. Obtendit eis tentorium purpureum. Cortinas & papiliones, qui illis erant pro tecto & tentorio appellat Currum siue ascensum (ut noster interpret reddidit), Mediū eius accensum. Quicquid erat intra ipsum. Agite ergo Salomon est inflammatus & accensus amore

Noster interpret
pres cōstratū.

amore vnus è filiabus Hierusalem (adeo homo astringitur est mulieris amoribus), Et tu quo pacto non extimescis solā te dare itineri: Accensum *אצור* combustum significat & ardentem, è loco Esaiæ, in manu eius erat *אצור* carbo ignitus, idem scilicet quod *אש*

10 Egredimini, nunc o vos filia Syon, & videte regem Salomonem cum diademate, quo coronauit eū mater sua die de sponsationis illius, quo coniugatus est cum sua amica. q. d. Egredimini & videte, quāta fecerit homo mortalis ob uxorios amores. Et amica mea solitaria incedit, neq; veretur ne forte eam aliquis cōprimat!

a Intra cinctus nos tuos, qui propendere solent mulieribus & per quos transparent oculi.

b Quæ spectatur, alij quæ depilatae sūt, alij quæ pexae sunt et detersis pilis.

c Tonsarū olium.

d Sterilis.

e Discendi causa, Kimbi in rad. ad propugnacula, Hierony. alij ad aceruū olium Gal. à crenceaux, a-

CAP. IIII.



I *Ponsus* Ecce tu pulchra focia mea, ecce tu pulchra oculi tui columbini, *a* intra comam tuam: pilus tuus vt grex caprarum, quæ *b* prominēt

è monte Galaad.

2 Dentes tui tanquam grex *c* præcisarum, quæ ascenderunt ex lauacro, quæ omnes gemellos pariunt, & *d* abortiens non est inter illas.

3 Tanquam filium coccini labia tua, & sermo tuus decorus est: tāquam fragmen mali punici, tempus tuum intra comam tuam.

4 Vt turris Dauidis collum tuum, constructa e ad disciplinas. Mille clypei suspensi sunt super eam, omnes pharetræ fortium.

5 Duæ mammæ tuæ, vt duo hinnuli, gemelli capræ, qui pascunt in lilij.

6 Donec

6 Donec aspiret dies & fugiant vmbrae: Ibo mihi, ad montem myrrhæ & ad colles thuris.

7 Tota tu pulchra amica mea, nec macula est in te.

8 Mecum à Libano spōsa, mecū à Libano venies, aspicias (subiecta loca) è vertice Amanæ', è cacumine Seniris & Hermonis, ex habitaculis leonum, ex montibus pardorum.

9 *b* Excordasti me soror mea sponsa: excordasti me vno oculorum tuorum, vna torque colli tui.

10 Quam pulchri sunt amores tui soror mea spōsa: quanto meliores sunt amores tui vino, & odor vnguentorum tuorum aromatibus.

11 Fauum stillant labia tua o sponsa: mel & lac sub lingua tua, & odor vestium tuarum, tanquam odor Libani.

12 Hortus clausus soror mea sponsa, scaturigo clausa, fons ob signatus.

13 *i* Plantæ tuæ *k* Paradisus malogranatorum cum fructu *l* deliciarum, cypri cum nardis.

14 Nardus & crocus, calamus & cinnamomū, cum omnibus arboribus thuriferis, & aloë cum *m* omnibus capitibus aromatum,

15 Fons hortorum, puteus aquarum viuētium: & *n* fluenta ex Libano.

16 Excitare aquilo, & veni auster, perfla hortū meum, *o* fluant aromata eius: veniat dilectus in hortum suum & comedat *p* fructus deliciarum suarum.

lij aliter. Hebraei ferè à doctrina, ad indicandā viā trāscentibus, vel vt sit exemplar oibus, qui aliquid e gregij adificare volunt.

f Socia.
g A colle thuris, ad quē iturū se dixerat. *h* *κεανός* heb. et græcè thus & mons thurifer.

h Cepisti mihicor, tu mas faisile cucur

i Propagines.
lx Viridariū
l Exquisito.

m Cum omnibus præcipuis aromatibus.

n Aquæ præfluentes.

o Late manet eorum odor et spargatur.

p Fructus suos deliciosos & suaves.

*K*₃ Inter-

INTERPRETIS OB-
seruationes.

1 Quia sponsus & sponsa inter pecora agebāt quærīt hoc toto cap. similitudines pastoritias. Quæ p̄minēt, quæ spectātur, emicant, & eminus prospiciuntur è monte Galaad nobili pascuis, quem propterea delegit tribus Gad. Harum conspectus iucundissimus erat. Ita describit oculos Ecclesiæ simplices & puros absq; labe & lipitudine, capillos nitidos, & elegantissime dispositos: Oculi autem Ecclesiæ, doctores sunt per quos cernit.

2 Significat dentes sponsi esse candidissimos, alludens ad ordinem dentium qui pulchro ordine sese consequuntur. Nostri referūt ad eos, qui firmiore sunt animo & fide, quos Paulus vocat spiritales, vos inquit, qui, spiritales estis talem in spiritu lenitatis corripite, & quorum nullus est, qui fructum in Ecclesiam non reponat.

3 Hebræi allusum putant ad filum coccineum, cuius conspectu seruatam fidem ipsi Raab meretrici scribit Iosua. Per genas autem & tēpora intellige pudicitiam & pudorē Ecclesiæ, qui in illis maximè apparet, cuiusq; decor similis est non malo punico, sed eius fragmini, quod altera parte tuberositatem, altera ruborem granorum ostendit.

4 Turris David ea est quæ dicitur turris exiens è domo Regis Neh. 3. & turris Regis Mich. 4. Huic comparatur collum sponsæ, quia rotundum, erectum, & forma eleganti, Monilia verò & torques è collo pendentes, clipeis de turri illa pendentibus. Per collum in Mi-
dras

dras sanctuariū intelligunt. Nostri præcones verbi Domini, per quos transmittitur cibus in corda fidelium, ut per clypeos verbum ipsum, Ephes. 6. & Pro. 30.

5 Mammis, quæ æquales ut gemelli esse solent, Hebræi dicunt adumbrari Mosem & Aaronem, aut legem scriptam & non scriptam. i. Cabalam, aut duas decalogi tabulas. Nostri duo testamenta, à quibus exugimus lac seu doctrinam salutarem, tãquam gemellos ab uno eodemq; deo prodeuntes.

8 Alludit ad ingressum terræ Israël, per illa enim loca Israëlita eò ingreffi sunt, ut habes Deut. 3. ubi dicitur Senir & Hermon nomina esse eiusdem montis. Amanam autem mons est in finibus terræ Israël ad septentrionē, ubi initia Iordanis, de quo Plinius lib. 5. de nat. Hist. cap. 22. aliqui putant esse Amanum montem qui Ciliciam & Syriam diuidit. Ascende, inquit, & ex his montibus subiecta loca atq; totam terram Israël aspicies, ut iucundū est è verticibus montium inferiora cernere. Hac adhortatione intellige dominum ostendere omnes diuitias & mysteria regni calorū ipsi Ecclesiæ, è montibus illis horridis & incultis, ubi potentissimi tyranni Seon & Oggus imperitabāt. Quasi dicat fore, ut Ecclesia è medijs tyrannorū persecutionibus perueniat ad caeleste regnum, terram ut pote promissam. Obserua autem ut hīc Dominus Ecclesiam in sublimi cōstituat. Est enim candelabrum in monte positum, è quo lumen, in omnes qui oculos mentis habent redundare possit.

9 Per oculum Ecclesiæ intellige perspicacitatem & vigilantiam eius. per torques virtutes, quibus abunde

Et opulentiè dotata est. harum vel minima Christum pellicit & amore vulnerat. Ipsius enim deliciae, esse cum filijs hominum Prou. 8. Ad hos cordis oculos Hieronymus principio in Esaiam multa alia scripturae loca aptat, eum consule.

10 Odor, fama Ecclesiae quae late loquetur; diffunditur.

11 Suaue est domino audire confessionem & inuocationem Ecclesiae. Eius vestes sunt virtutes, quibus decorata est, 2. Cor. 5. Itaque odor vestium famam virtutum eius indicat.

12 Hebraei referunt ad pudicitiam Ecclesiae, quae ita undique clausa est & septa atque veluti obfirmata, ut non pateat cuiusquam iniurijs, sed nec externos & Chanaeos admittat. Es. 51. Zac. 14. Porro quidam eam notant decies sponsam in scriptura nominari, quinquies hoc capite, semel sequenti, quater alijs libris.

13 Hic amplificat horti huius laudes, cui Ecclesiam comparat.

14 Illa autem omnia adumbrat dona atque dotes, quibus beata est. nihil est, inquit, eximium quod non crescat in hortis tuis. Nam etiam myrrham & aloem, quae duo adhibentur ne res putrescant proferunt. sic appellantur electi, quos plantat pater Mat. 15. quique sunt Domini bonus odor 2. Cor. 2. De nardo quae in unguentis principem locum tenet & cuius cacumina in aristas se spargunt, vide Plinium lib. 12. cap. 12. Eundem de croco cap. 14. & 15. lib. 12. Quam cyprum vertimus, ea fortasse est planta, nardi odorem spirans, quae in Phoenice nascitur & vocatur cypirus apud Plinium cap. 18. libri. 21. nat.

Hist.

Hist. Calamus & iuncus odoratus inter Libanum & alium moticulum nascitur apud eundem lib. 12. cap. 23. & Theophrastum lib. 9. de Hist. plantarum cap. 7. Cinnamomum frutex, cuius cortex odoratissimus in Syria, Iudaea & Arabia nascitur. Theoph. lib. 4. de Hist. plan. cap. 6. Plinius Cinnamum appellari ait, cap. 20. lib. 12. unde Heb. יודק.

15 Secundò fonti & scaturigini comparat Ecclesiam. Hic igitur qualis sit fons traditur, nempe à quo petendae sint aquae vitae salutes in vitam aeternam, vide Zac. 13. cum verò vocat fluenta è Libano, alludit ad Or & Dan seu Paneaden, qui fontes è monte Libano scaturiunt, Iordanemque efficiunt: lege Iosephum cap. 18. lib. 3. de bell. Iud. & Plin. lib. 5. cap. 15. nat. Hist.

16 Prosopopeia elegans vi amoris à sponsa elicit, precatur autem ut odor, fumus & bona fama suarum virtutum ad sponsum assidue perueniat. His enim duobus ventis intelligit perpetuam expirationem. hi enim omnibus anni temporibus flant, ceteri non item, ut docet Arist. 2. Meteo. cap. 4.

COMMENTARIVS R. SE- lomonis in 4. Cap. Cant.

1 Ecce tu pulchra. Laudat eos, illis bene vult acceptisque; habet eorum oblationes, donec aspiet dies. peccarunt enim in conspectu meo temporibus Ophni & Phineae. Oculi tui columbini, color tuus, aspectus tuus, species tua similis columbae, quae coheret cum pari suo, quam cum ingulant non se motitat, sed opponit cerui-

L cem.

cem. Similiter & tu obijecisti humerum tuum ferendo iugo & timori meo. Intra comam tuam. Pilus tuus sicut grex caprarum. collaudatio hæc ponitur pro exēplo laudis eius que in sponsa requiritur. Intra vittas tuas, inquit, pilus tuus pulcher est & splendescit ut fulgor atq; candicat ut pilus caprarum albicantium, quæ è mōribus descendunt, quarumque pilus è longinquo promicat. Allegoria, qua sic adumbrat ecclesiã Israëlicam est hæc. Intra castra tua & tabernacula tua, vel homines scelerati quos apud te cōtines, mihi perinde accepti sunt atque Iacob, filiūq; eius qui prospecti sunt descendere è monte Galaad, cū ibi eos Laban affecutus est, aut etiam atq; illi qui conflixerunt cum Madianeīs trans Iordanē, quæ est terra Galaad. hoc enim glossema extat in Midras Cantici Canticorū. Intra Heb. סבער sonat intrinsecus. Magna enim ex parte בער, quod occurrit in scriptura, de re dicitur, quæ obumbrat & obtegit aliã, ut בער super stellas obfignauit. Item vectes terræ בערי super me, & הבער an supra nebulã. סבער autem præposita ס, de re quæ intra illam est, quam ponebamus בער super. unde & illa voce vsus hic est Salomon.

Alijs comam. Vittam tuam. צמה id significat, quod pilos ne foras promineãt, inuoluit. estq; veluti reticulum & vitta. nec debet exponi ex צומת .i. coniunctio, quia ה, in voce צמת, radicale esset, atq; ita afficiēdū daghes, subiecto ה pronomine fœmineo aut ו masculino, ut cū à שבת sabbato, dicimus שבתה sabbatū eius, & בשבתה, in sabbato eius, ה affecto daghes. Atqui ה vocis צמת, quia habet raphen, necessario subit vicem ה fœminei, ut in absoluto

10n. 3.

Alijs comam.

Num. 28.

absoluto sit צמה, quod postea subiunctis affixis siue masculeis siue fœmineis, ה, vertat in ה. ut enim à שפתה ancilla, dicitur שפתהו שפתה, & ab אמה, cubitus אמהו אמהו ערוהו turpitude, ערוהו ערוהו: ita à צמה vitta, צמתו צמתה צמתו צמתך, vitta ei, mea, tua. Quæ pilo rasæ sunt. גלוש hoc significat, גבה enim, caluus, Quæ pminet, transfertur à Chaldaeo גלוש. Cum hæc animantes descendunt è monte, inuenitur mons decaluatus & depilatus ab eis. quæ eminus prospiciuntur.

2. Dentes tui sicut grex præcisarum. hoc etiam encomium pertinet ad venustatem mulieris. Dentes tui minuti, candidi & ordine collocati similes sunt lanæ & gregi agnarum rectè disposito, qui habito ouium delectu certo numero traditur sapienti pastori. Curandum autem eī est ut lana fulgeat, quod inde operetur lanificia, & seruet eas diligenter à partus tēpore illasq; singulas quotidie abluat, ne contaminetur lana. Quæ omnes integræ sunt. Heb. טהאיוטו trahit significatiōe à טהום, perfectio, integritas, ut, nō est טהום, integritas in carne mea. significat igitur absolutas & integras, vernaculè entieres. Et Abortiens non est inter illas. Nulla orbitas & labes est in illis. Allegoria de fortibus Israëlicis, qui excindebant & deuorabant hostes suos dentibus suis per circuitū, cū interea summo opere cauerent à direptione Israëlitarum & ab incestibus, ne transgressione contaminarentur. Quod præconium relatum est de duodecim virorum millibus, qui decertarunt cum Madianitis præscripto numero, ut ne vnus quidem fuerit suspectus incesti, quia scriptum est,

Geminos pariunt.

psal. 38.

Non defecit ex nobis quisquam. Quin etiã cogitationum cordis veniam retulere. Porro caruerunt rapti suspicionem, quoniam de illis testatur scriptura, Acceperunt omnia spolia & comportarunt ad Mosem & ad Eleazarum. Nec ullus eorum vel vaccam vel a sinum interuertit. 3 Tanquã filii coccini labia tua, pulchra pollicendo & pollicita seruãdo, ut fecerunt exploratores Raabæ meretrici, cui dixerunt, fune fili coccinei suspẽde, steteruntq; promissis. Et sermo tuus. nam מרברך deriuatur à הרברים, qui loquuntur tibi iuxta parietes. Et tunc נרברו locuti sunt timentes Domini. vernaculè, parler. Tempus tuum. Heb. רקח tumorè vultus significat, gallicè pomelet, prope oculos. lingua talmudica vocatur רומני ראפי elatio faciei. Tempora autem similia dicit fragmini dimidiati mali punici quod extrinsecus rubicundum est & rotundũ, & hac commendatio sit mulieris pulchra. Allegoricè doctores nostri intelligunt homines vaniores in Ecclesia, hi pleni sunt preceptis sicut malogranatum. Intra * vittam tuam, intra colligamenta tua.

4 Ut turris Dauid collum tuum, statura erecta pertinet ad mulieris elegantiam. Allegoricè, ut turris Dauid est munitio Sionia, locus roboris, propugnaculũ & arx, ita collum tuum. Hæc camera ex quadris lapidibus, robur & munitio Israëlitarum atq; turris ædificata erat לחלפיות ad disciplinas, eò eximia pulchritudine extructa, ut eam omnes contemplantur ad comprehendendum formam eius & superbiam operis, exemplaris loco. Deriuatur enim vox hæc ex, מלפנו

cens

cens nos ex bestijs terra, atq; afficitur aduentitio, instar חרסית dolus, חבניה exemplar, similitudo. Mille clypei suspensi super eam. is est mos principum, ut suspendant clypeos & pharetras suas de muris arcium. Pharetra, שלטי sunt theca, in quibus recõdunt iacula, ut in Ieremia. emundate iacula, implete חשלטים pharetras. Huic respõdet sella iudiciaria quadrato lapide, unde sibi homines metuunt. Lex verò clypeo, est enim clypeus Israëlitis. Cæterum licet per submutationẽ explicare Mille clypei, pro clypei mille (hominum), ut aliquo Psalmorum loco, Verbum mandauit in mille generationes, אַרְבֵּי תוֹב, in generationes mille hominum. Pharetris autem intelliguntur discipuli. constat enim ex Psalmis illos comparari pharetris & iaculis. sicut פסל. 145. gitta, in manu potentis, ita filij iuuentutum. Beatus vir qui impleuerit pharetram suam ex illis.

5 Duæ mamme tuæ. quæ lactant te. Moses & Aaron. Ut duo hinnuli gemelli, solet caprea gemellos, quorum alter alteri hominum existimatione æqualis est, parere. Glossemate alio duæ mammae sunt duæ tabulae, quæ quia ad mensuram unam comparatæ sunt, habentur pro gemellis capreae. una enim complectuntur præcepta quinque, alterã totidem eaq; sibi altera ex parte respondentia. Exempli causa. Ego Dominus, qui eduxi te אַרְבֵּי תוֹב, Non occides. Nam homicida labefactat similitudinẽ Dei. Non erunt tibi dii alieni, huic, Non scortaberis. Qui enim post Idola scortatur, similis est mulieri, quæ mariti thorũ adulterio commaculat & externis nubit. Non fumes nomen Dei

Elegans cõparatio duarum tabularũ decalogi.

L 3 fru-

Iof. 2.

Mala. 3.

Comam.

Iob. 35.

frustrà, ponitur ex aduerso huius, Non furaberis. furantis enim finis pejerare. Recordare diēi sabbati, è regione alterius, Nō dices falsum testimonium. Nam qui polluit sabbatum falsum creatori suo affingit & veluti affirmat Deum non quiescisse sabbato orbis conditi. Honore prosequere patrem, huic obijcitur, Non concupisces. concupiscentis enim propositum est, ut procreet filium qui sibi sit dedecori & eum qui non est genitor honore afficiat. Qui pascunt oves suas In lilij & traducunt eas per viam quietam, rectam & equabilem.

6 Donec aspiret dies. donec diffundatur sol. Et fugiāt ymbræ, tēpus aestus & caloris significatur. hodie, inquit, eripiam te, erisq; mihi accepta. Dies significat solem, ut in Genesi, ad ventū diēi, & in Malachia, Ecce dies venit ardēs sicut clibanus. Ex quo aspirauerit dies, ibo mihi in montem Moriá in domum seculorum. Hac in Berechith Rabbá hoc sensu. Quoniam peccarunt in conspectu meo polluentes nomen sanctum meum & execrati sacrificiū meum tēporibus Ophni & Phineæ, subducam me ab eis & deserto hoc habitaculo, deligam mihi in monte Moriá ædem perennem, ubi tota sis pulchra, absq; ulla macula, ubi & omnes tuas oblationes acceptas habeam.

8 Mecum à Libano sponsa. cum extorres ab hoc Libano abducemini, mecū exulabitis. Ego enim in exilium vobiscū proficiscar. Mecum à Libano venies. cum reuerteris ab exilio ipse reuertar tecū: prætereà toto exilij tui tempore afficiar tuarū afflictionum sensu,

&

& proinde à Libano venies, cum migrabis ab hoc Libano venies mecum. porro nō scribitur, Mecum ad Libanum venies, ut sit sensus, ab exitu vestro ad articulum vsq; reditus vestri vobiscum sum, quocumq; tandem exhibitis & ingrediemini. Aspicias è vertice Amaná. cum congregaero expulsos tuos, contemplaberis & intelliges quænam sit actionum tuarum merces ab eo tempore quo in me credere cepisti, sequens me per desertum, atq; animo versabis profectioes & mansiones tuas oraculo meo cōfirmatas, aduentumq; tuum in verticem Senir & Hermon, quæ erāt latibula Leonum Seonis & Oggi regum. Amaná autem si historiam spectes, mons est in termino Septentrionali terræ Israëlicæ, qui Talmudicè mons Amnon & mōs Ahar, de quo in Numeris. Num. 34. magno mari circūscribitis vobis montē Ahar. Inde, cum eò exules cōgregabantur & appellebant, prospectabāt terminum terræ Israël & aërem eius, atq; delectati gratiarum precem fundebant, ut propterea dictum sit è vertice Amaná.

9 Excordasti me. cor meū ad te pertraxisti. Vno oculorū tuorū. plurimæ in te sunt species, quàm excellentissimæ, quarum vel una me in tui amorem pertraheret, quanto igitur magis cunctæ. Vno torque colli tui, sic vno monili torquium ornatu tui cepisti me. significantur ornamenta præcepti, quibus Israëlitæ insigniti sunt. Glossemate alio vnum monile vnum ex patribus refert, iuxta illud Malachia, ipse vnus erat, Mal. 1. tumq; דַּי proprie nō significaret monile, sed Anacheum & quasi heroam, id est, Abrahamum, qui vocatur Ios. 14. Anacheus;

nacheus, homo magnus inter Anacheos.

10 Quam pulchri sunt amores tui. quilibet locus, in quo tuum amorē declarasti mihi, pulcher est admodum & acceptus, Galgal, Siló, Nob, Gabaon & ædes perennitatis, de qua carmen condidit Babylonius quidã, Quies Menoha, & reliqui conuentus, &c. per Menoham intelligens Ierusalem, per reliquos conuētus loca, in quibus congregiebatur diuinitas cum Israëlitis. Et odor unguentorum tuorum, nominis celebritas & fama.

11 Fauum dulcedinem, stillant labia tua gustus legis & sententia. Et odor vestium tuarum. præcepta conuenientia, quæ de more seruare soles in vestibus, simbrijs, & hyacintho, vestibus pontificijs & indumēto, quod lex vetat ex lino & lana mixtim confici.

12 Hortus clausus. alludit ad verecundiam & pudorem filiarum Sioniarum, quæ neminem ad nefandos coitus sollicitant. Scaturigo clausa. הַנְּטֵמָה fontem significare potest, ut in Iosua גְּלוֹת עַל־יַד־הַנְּטֵמָה fontes superi. potest & significare portam & id ex lingua Syriaca in Talmud גְּלוֹתֵי טְרוּקוֹ clausurunt portas.

13 Plantæ tuæ. שְׁלַחִים significant areas. terra enim arida appellatur domus הַשְּׁלַחִים arearum, quas cōtinuò irrigare oportet. hinc ager patrisfamilias pulcher est quem hîc ita commendat. Area tuæ siccæ profectò omni bono plenæ sunt, ut paradysus malorum, punicarum. Id verò dicitur propter paruulos, qui in Israëlẽ uernant bonis operibus, sicut hoc uiridarium malis punicis. Cypri cum nardis, &c. genera aromatum.

15 Fons

15 Fons hortorum, omnia hæc referuntur ad Plantæ tuæ, seu areæ tuæ. eas commendat à fonte, qui illas rigat. Allegoricè id dicit propter oblationes mundas, quibus Israelitica puellæ se diluunt. Et fluentia ex Libano, è loco purissimo abhorrente à luto turbido.

16 Excitare aquilo & ueni auster. quoniam mihi suauis est odor tuus & habitaculi tui species, impero uentis septentrionalibus & austrinis, ut perflect hortū tuum: ut fragrantia odoris tui longè manet & spargatur. Mysteriū pertinet ad exules, qui certatim congregantur, gentibus undiq; munus comportantibus Ierosolymam, cum præterea Israëlita restorationis temporibus eò conuenturi sint & festa atq; statas ferias celebrantes responsuri, Veniat dilectus meus in hortū suum. omnia enim illic reposuisti.

COMMENTARII

Abben Ezræ.

1 Intra comam tuã. intra pilum copiosum, ut, כַּעַר intra fenestrã. Quæ prominent. שְׁגִילֵי. quæ prospiciuntur & apparent aut subsiliunt oculo. sunt qui uertant, quæ depilatæ sunt, quòd Chaldaea paraphrasis caluitiei sit גְּלוֹתֵי, sed hoc à sensu remotum.

2 Sicut grex præcifarum, sup. agnarū, ut in Abacuc, Cibis eius obesa, sup. ouis. sententia refertur ad agnas, quarum eadem perinde est magnitudo, atq; si altera excisa esset ad alteram. Ita enim uerbum קָצַב alijs locis accipitur, ut וַיִּקְצַב, & excidit unus. Item וַיִּקְצַב & præcidit ligna. Gemellos pariunt, quæ ante se sigilla-

M tim

tim gemellos ducunt. alijs כחאיות non sunt quæ gemellos pariunt, sed quæ ipsæ gemellæ sunt.

3 Sermo tuus, hoc sonat מרברך. Tãquã fragmẽ mali punici. כפלה multis modis exponitur, quidã explicant tanquam dimidium. probabilius est, ut significet florem malogranati rubore perfusum. Nonnullis est fragmentum, ut פלה, fragmentum caricæ, ubi sumitur pro fissura & fragmine. Tempus tuum inter frontem & oculum. Comam tuam צמה est pilus copiosus & frequens, ut retege צמהך comam tuam.

Iob. 35.

4 Ad disciplinas לחלפיות ut nonnullis placet לחלות פיות, ad suspēdēda ora seu aciem, hoc est, enses. ut alijs, ח accidentarium est, & א suppressum est ex loco simili a pud Iobum. מלפני, docens nos ex bestijs terra. Grammatici negant aliud huic esse simile. Pharetræ. שטיג genera sunt armorum ut והשטיגים, & scuta. Idem enim quod סגנוים clypei, scuta.

8 Aspicias. sic enim וסוריו sumenda est, ut in Iobo, אסוריו, aspiciam eum, sed non nunc.

9 Excordasti me. cepisti mihi cor. Vno Torque. ענק genus est monilis, quod alligatur collo, de quo in proverbij, וענקים, & torques in collo tuo.

Pro. 1.

12 Scaturigo clausa. גל amnis fluens, sed exiguus: habes simile in Iosua, עליות עליות scaturigines superæ & inferæ. 13 Plantæ tuæ. שילוחים rami. significatio ducitur ab his & similibus locis, חשלה, emittet messes tuas ad mare usq; & quasi propagabit. & שילוחיה, propagines eius seu plantæ relictæ sunt. Paradisus. viridarium unius modi, & generis simile horto lingua Ismaëli-

Esa. 80.

ca.

ca. Cypri כפרים plurale est à singulari כפר, de quo antea, botrus cypri.

Cap. 1.

14 Aloe. genus aromatis, de quo, tanquã aloas plantavit Dominus.

INTERPRETATIO

dramatis.

1 Ecce tu. tu verò pulchrior es dilectã Salomonis, & conspicere te possum absq; eo, ut opus habeam palatium construere. Pilus tuus sicut grex caprarum. quæ solent se in editis montibus suspendere & in pedes consistere, ut hic illic folia carpant. His simile dicit capillum capitis eius, quod alter in alterum recumbat.

2 Ex lauacro. candorem indicat sponsæ. Abortiens. שכלה quasi fracta.

4 Ut turris. comparat torques, qui collum sponsæ cõstringunt, clypeis qui pendent de arce Davidica.

5 Duæ mammæ tuæ. redit ad parabolam seu drama. Ut duo hinnuli, quorum odoratus suavis est quod pascant in lilijs. Tu, ô sponsa, monuisti ut contenderem ad montes Bather, donec aspiraret dies. atqui nusquam aliò me contuli, quàm ad montem myrrha.

7 Tota tu pulchra. sensus est. quacunque aïs grata sunt meis oculis, nec aliqua est in te labes.

8 Itaq; mecum à Libano ô sponsa venies, mecum aspicias è vertice Amaná, quod receptaculum est Leonum & pardorum: hoc est. fugè de deserto & ab ijs locis, quæ non carent periculo & me comitare.

9 Neq; enim separari à te possum, quia ita cor meum

M 2 illexisti

illexisti, ut nullū amplius relictum in me esse videatur.
 12 Hortus clausus. similis es o sponsa hortu clauso, qui foras fragrantiam odoris mittit & in quem nemo ingredi potest. Vbi eam prætereā comparauit fonti consignato, tu es, inquiens, similis fonti hortorum, qui ideo videntur puteus aquarum viuentium, respondet Ecclesia & ait, quandiu exurget ventus Aquilo & excitabitur Auster atq; uterq; hortum meū perflabit, fluentibus eius aromatibus, pergat dilectus meus in hortum suum, & postea reuertatur.

INTERPRETATIO TERTIA, quæ allegorica.

1 Ecce tu pulchra amica mea, oculi tui columbini. Religiosè enim colebant Dominum, ut iam prima interpretatione docui. Per oculos intelligit Prophetas, qui eandem ob causam appellantur videntes & inspectores seu speculatores. Per pilum Nazareos, perdentes heroas & strenuos, per labia cantores, per tempora sacerdotes. 4 Per collum regem, per clypeos principes eius. 5 Duo vbera tua. duæ leges, una quæ consignata est scripturis, altera* quæ traditionibus. vbera enim emittunt lac, sic lex, iuxta illud, agite frumentum emptum edite, & quæ sequuntur apud Esaiam. hic indicat Dominus se fuisse profecturum in montem Moriam, vbi ædes ipsi sacra. quod sic explicatur in libris Paralipomenon. Ædificauit Salomon ædem in monte Moria, qui patefactus fuerat Dauidi patri. significat igitur se habitaturum fuisse in illo monte.

* Quæ per os
 verb.
 Es. 55.

6 Donec

6 Donec aspiret dies. donec mutetur ventus, hoc sensu, quandiu Israëlita seruant præcepta mea, sedeo in medio illorum. & proinde tota pulchra es. 7 Israëlita enim diebus Salomonis iusti erant.

8 Mecum à Libano. quò veniebāt pedibus ex quouis loco, etiā ex ulteriore Iordanis ripa, vbi Senir. prætereā ij qui erant in profanorū terris & regionibus, qui cōferuntur Leonibus & pardis, omnes illò veniebant.

9 Excordasti me. cum dixisset, tu tota es pulchra, nunc excordasti me, inquit, vno torque colli tui, videlicet tribu Iuda, quæ secūdū Deū ambulauit. Maxima enim ex parte Reges Iuda fuere pij. adumbrat autē per vnū oculorū Eliam vatem, qui ad pœnitētiā reduxit Israëlitas, ut & adhaerent Deo. hoc nimirū intelligit per, 10 Quam pulchri sunt amores tui. 11 Labia tua. ob pacifica vota & spontaneas oblationes. Vestibus verò designantur duces.

12 Hortus clausus: virgines eorum verecundæ. Paradisum malorum punicarum & aromaticarum arborum composuit ex duodecim generibus, respiciens ad 12. tribus Israëlitas. Fontem hortorum refero ad mulieres, quæ lotionibus & purificationibus vacant.

16 Excitare Aquilo & veni Auster. Irruit vêtus Septentrionalis (de quo illud, donec aspiret dies) & perfluit hortum, nempe Israëlitas & deiecit aromata eius in terram. Fugit dilectus in hortum suum. diuina enim maiestas sese subduxit in calū. hinc illud, ibo & ascendam in locum meum. Et comedat fructus deliciarum suarum. q. d. non offeram amplius holocausta. vi-

M 3 de

de hunc locum scripturæ, qui adipem sacrificiorum suorum comedunt. &c.

COMMENT. R. INNOMINATI.

1 Ecce tu pulchra amica mea, verba sunt dilectæ, laude me exornauit dilectus meus, cum reperit me, sic dicens mihi. Ecce tu pulchra es socia mea. Oculi tui columbarum. hæc omnia pertinent ad laudem sponsæ usq; ad illum locum, Ego dormio & cor meum vigilat. comparat autem oculos dilectæ oculis columbarum, quod columbæ non nisi ad coniuges suos oculos conuertant. Intra vittam tuam. intra colligamenta tua. Redimitam enim habes* fascijs faciem, ne vultus tuus appareat. Intra autem illa redimicula oculi tui extant similes oculis columbinis. Capilli tui sunt candidi & nitent, sicut Greges caprarum, quæ promicurrunt, & ירדו, descenderunt, de monte Galaad. נלוו significat trahi & descendere de alto. Chaldaea enim paraphrasis טוּ בנבחהו est בלושותיהו.

2 Dentes tui sunt candidi, tanquam Grex caprarum, quæ sunt קצובות limitatae & velut connexa, quæ non sunt dispersa huc illuc. Quæ omnes gemellis sunt foetibus. Vniuersi dentes tui geminos pariunt, in quibus nullus orbat & deficit.

3 Sicut filum coccineum, quod rubet, sic labia tua rubore suffunduntur. Genæ tuæ, sunt verecundæ.

4 Sicut turris Dauid, quæ porrecta est in rectum, sic collum tuum. Illa enim turris, ædificata est in monimeta. תלפיות mutilatã habet literã, debuitq; scribi

Cap. 5. Inf.

Heb. Colli-
gamētis inuo-
lucris.

scribi תלפיות. sententia autem est. Turris illa pulcherrima est, adeo ut quilibet opifex ex ea possit discere, & qui vult insignem ædificare turrim, eam visat atq; in ædificando eius exemplum sequatur. Mille clypei pendent ex ea, turri. Omnis armatura fortium, שלטו sunt arma bellica.

5 Hinnuli capreae Gemelli, qui pariter æquales sunt. Nam si vbera mulieris essent imparia, ac vnum altero maius, vitium esset. Qui pascunt in lilijs. quorum odor in longinquum promittitur.

6 Donec aspiret dies. Sic tum affatus est me dilectus meus, cum me reperit. Donec aspiret dies ut flet ventus Aquilonis à meridie & supra, & fugiant umbra, & incipiat vespescere, vadã mihi ad montem Myrrha, interea ut otio perfruar. Neq; enim est commodum, ut vnã nos ambo oblectemus in ipso diei aestu.

7 Tota tu pulchra es socia mea. Cum me laudaret dilectus meus, speciatim recensuit omnem meam pulchritudinem. Deinde verò vniuersè complectens eam, dixit, Tota es pulchra socia mea, & macula nõ est in te.

8 Mecum de Libano, Sic quoq; dixit mihi dilectus. Si tu es sponsa mea, veni mecum de Libano & profisciscere mecum de vertice Senir & Hermon. Omnia enim hæc loca sunt periculosa. אמיטת de תשורי, debuitq; scribi תאשורי de significatu incedendi.

9 Tunc vulnerasti cor meum soror mea sponsa. perinde ac si ambulassem cum mille hominibus. In vno oculorum tuorum. cum in vnũ oculorum tuorum conijeci aspectum, aut cum vnũ monile colli tui perspexi,

spexi, vulnerasti mihi protinus animum.

10 Odor vnguentorum tuorum super omnia aromata. nomen & existimatio tua.

11 Fauus distillans labia tua. נופת *appellatur massa mellis.*

12 Hortus cōclusus soror mea sponsa. Sicq; laudabat me. Soror mea tu es similis, horto sera concluso. Fons conclusus. הַיַּדֵּן מֵעַיִן הַיַּדֵּן, id est fons & scaturigo.

13 Emissiones tuæ, plantationes tuæ, cui affine est illud P salmorum, קציריהו תשלח emisit palmites suos usq; ad mare. Cypri cum naridis. Cepharam appellatur vernaculè Camphara. Neradim autem spica dubia & incerta genus est.

16 Surge, Aquilo, Cùm vidi (inquit dilecta) quod amicus meus comparasset & assimilasset me horto sera clauso, ipsa quoq; sic mecum sum locuta, proinde atq; si hortus essem, atq; dixi. Excitare vete Aquilo in medium horti mei & ingredi ventum Auster, qui es feruidus, & nocet hortis, & perflavit ventum Aquilonem in hortum meum, & fluant aromata illius, &c.

CAP. V.

a Ita vertendū existimamus è 7. cap. Prouerb. age inebriemur amoribus. alij nō tam rectè, (ò) amici.



Ponsus Veni in hortum meum ò soror spōsa, collegi myrrham meam, cum aromate meo, comedi fauum meum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo: comedite ò focij, bibite & inebriamini amoribus.

2 spon-

2 *Sponsa.* Ego dormio & cor meū vigilat: vox dilecti mei pulsantis, aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, integra mea, quia caput meū plenū est rore, cincinnati mei guttis noctis.

3 Exui tunicam meam, quomodo induā eam: abluī pedes meos, quomodo inquinabo eos.

4 Dilectus meus misit manum suam ex foramine, & viscera mea infremuerunt super me.

5 Surrexi ego, vt aperirem dilecto meo, & manus meæ stillarunt myrrham, & digiti mei myrrham transeuntem per cardines pessuli.

6 Aperueram ego, sed dilectus meus ferverat sese, (et) transierat, g anima mea exierat, cū ille loqueretur, quæsiui eū neq; inueni, vocaui eum, nec respondit mihi.

7 Inuenerūt me custodes, qui circuunt urbem, percusserunt me, vulnerarūt me, tulerūt peplum meum à me, custodes mœniorum.

8 Adiuro vos filia Ierusalem, si inueneritis dilectum meum, quid indicabitis illi? (nonne) quòd ægra sim amore.

9 *Puella.* Quid excellentius dilecto tuo, quàm cæteris ò mulierum pulcherrima? quid dilectus tuus præ cæteris, quia sic adiuras nos.

10 *Sponsa suum spōsum describens.* Dilectus meus nitidus & rubicūdus, vexillatus de myriadib⁹.

11 Caput eius aurum obrizum, cincinnati eius densi, nigri, vt coruus.

12 Oculi eius tāquam columbi ad riuos aquarum,

N rum,

b Immaculata.

c Mihi. In emē datis editioni

*b*⁹ super eum.

i propter eum dilectū meum,

fic & noster & Græci.

d Manantem.

e Manubria & ansas.

f Abierat.

g Vene extra me eram loquente eo.

h Delicias meas.

i Acerui, propriè.

- le In inclusio-
ne sua et tan-
quã pilla seu
concauitate.
l diffundētem
odorem suum.
m Ornati.
- rum, loti lacte, siti t̄ super plenitudinem.
- 13 Malæ eius tanquam area aromatis, turres pigmentorum: labia eius lilia, stillat̄ia myrrham l̄ transeuntem.
- 14 Manus eius orbes aurei m̄ Impleti hyacinthis, viscera eius nitor eboris tecti sapphyris.
- 15 Crura eius columnæ marmoris, fundatæ super bases auri. Aspectus eius vt Libanus, n̄ electus vt cedri,
- 16 Palatū eius ō dulcedines, & totus ipse p̄ desideria. Ille est dilectus meus, & ille socius meus ō filiæ Ierusalem.
- n̄ Eximius.
ō Dulcissimū.
p̄ Expetēdus
omnibus mo-
dis.

Interpretis obseruationes.

- 1 Veni in hortum meū, collegi myrrham, vidi, inquit, & probaui fructū operum tuorū, & comedi summa auaritate, accepi tua opera ō Ecclesia. Lac verbū Domini dulce, hinc cetera intelligentur. Caput Christi Deus pater qui plenus est rore fecunditatis. ab eo enim omnis manat paternitas siue quæ in celis siue quæ in terris. Cincinni eius qui è capite prodeūt, spiritus sanctus, qui à patre procedit, hi pleni sunt guttis nocturnis. Multiplices enim & variæ sunt gratiæ spiritus sancti.
- 3 Sponsa h̄c nuda loquitur detrectans aperire pulsanti sponso. Hæc autem dicuntur in persona segnescentis populi Domini, iam exui tunicam .i. iugum Domini, vt illud iterum subibo? Iam nouo cultu aut noua viuendi ratione absterse * pristinam, quo pacto illa missa facta, quæ mihi placet admodum, hæc iterum repetam?

* Pedes.

sic

- sic Israëlita fastidiunt iugum Domini & alienum atq; vitiosum laudant, Ierem. 44. Interea dum coluimus militiam, cali, omnia nobis erant prospera: cum autē, &c.
- 4 Pergit narrare sponsa, quid sibi acciderit, Cum ego renuissim aperire sponso meo, ille instabat & misit manum per foramen ostij, quasi volens pessulum reserare. Hoc conspecto tota commota sum. Sgnificat Dominū multis rationibus, vt sibi aperiāmus, instare.
- 5 Cum surrexi ad aperiendum, manus mea stillarunt myrrham eaq; perfusa sunt. hoc est, intellexi me nouo agi spiritu atq; antea improbè fecisse, quæ sponsum tam suauem foras exclusim. Myrrha enim pœnitentiam significat, de qua Plinius lib. 12. cap. 16. & 17.
- 7 Per custodes accipe pseudoprophetas & hereticos.
- 10 Dilectus meus candidus miserationibus, rubicundus irā, dum probos bonis & malis improbos afficit, vexillatus de myriadibus seu decem hominū millibus: vel quia vexillū gerit, quod decem hominū millia sequantur, vel quia insignis est maximè inter decem millia. Hebraei huc pertinere volunt illud Dan. 7. millies centena millia ministrabāt ei, est enim Dominus exercituum.
- 11 Per caput Christi nostri intelligunt diuinitatem eius, per capillos multitudinem Ecclesiæ.
- 12 Per oculos perspicaciam & iudicium Domini, aut eius quoq; prouidentiam. Capillos comendat à nigrore, vt illius temporis iudicium erat. Sic Flaccus laudat,
- Spectatum nigris oculis, nigroq; capillo.
- Oculos autem à candore, nempe quia cum oculi due sint partes, vt docet Aristot. lib. 1. de Historia animalium

N 2 lium

lium, una candida, altera nigra, ille est longè pulcher-
rimus, qui quamq; partem suo colore insigniter tinctam
habet. Nam pupilla glauca aut hircina, & candor ocu-
li obscurus vel mixtus, pulchritudini plurimum detra-
hunt. Quod fiat mentio columbarum respicitur ad sim-
plicitatem. Oculi hi loti sunt lacte, quia sunt candidissi-
mi & maximè synceri, collocati in inclusione sua, quo-
niam nec nimium extant, nec nimis depressi sunt. Ver-
bum enim implendi apud Hebræos dici solet de inclu-
sione gemmarum & pallâ, in quam gemma immititur.
R. Selomo refert ad plenitudinē orbis, quam perlustrat
Dominus. Quod hīc dicitur, loti lacte, Hebræi refe-
runt ad oculos. Nostri non tam rectè ad columbas can-
didissimas.

13 Genæ eius sunt tabulæ Dei, iuxta Hebræos, aut
iuxta nostros, scriptura sacra. Turres pigmëtorum.
Veteres in hortis suis varias figuras deliniabāt & huic
rei præficiēbāt, quos Latini topiarios appellarūt, ita ergo
fortasse pigmenta disponebantur. Alluditur præterea
ad figuram genarum. Labia porro eius stillant verita-
tem quæ amara est, ut myrrha. 14 Manus spōsi opera
eius, viscera amor, quo nos profecutus est.

15 Crura sedulitas, quam in defungendo concionandi
munere adhibuit & quotidie per suos adhibet.

16 Palatum, verbum eius.

COMMENTARIUS R. SE-
lomonis in Cap. 5.

1 Veni in hortum meum, diebus templi dedicati.

Col-

Collegi אריתו *collegi, decerpfi.* Idq; lingua talmudica,
ut dum impleret אורה colligens canistrum. & biblica,
הוארוהו *messuerunt eam, quot quot pertransibāt viam.* hoc
autem pertinet ad incensum, quod sigillatim adoleuerūt
principes tribuum super altari exteriori, ut à maioribus
traditum est, quæ res insolens apud posteros. & proinde
dictum est, Comedi fauum meū cum melle meo.
יערי *cannam meam, ut loquatur de melle, quod crescit
in cannis, de quo apud Samuelem, ביערה in canna seu*
culmo mellis. unde hūc locum Exodi, Posuit in carice, 1. Sa. 14.
1. In Fapo.
Chaldeus trāsferet, posuit eum ביערא in calamo. solent, Exod. 2.
inquit, hoc cortice abiecto mel sugere, at ego vehemen-
tiā amoris comedi culmum meū cum melle meo, cānam
cum melle. Nā quanuis non quadraret ex officio incen-
sum spontaneum: similiter nec hirci pro peccato, quos
obtulerant principes, (oblatio enim pro peccato non est
spōtanea) utrumq; tamen suscepi, illo die. Bibi vinum
meum. intelligit libamina. Cum lacte meo, dulcior- Lam. 4.
res erant & nitidiores lacte. Edite focij, in tentorio fœ-
deris ô Aaronitæ sacerdotēsque omnes qui adestis adi in
secula duratura. Bibite & inebriamini dilecti, ô Is-
raëlitæ quibus permittitur esus sacrificij pacificij, quod
obtulistis in altaris dedicatione.

2 Ego dormio, cum essem quieta & tranquilla in
æde priore, abhorruī à cultu Domini Dei veluti dor-
miens & alto correpta somno. Et cor meum vigilat,
Deus terq; quaterq; fœlix. sic allegoricè exponitur in
Peskta. Cor meū vigilat. Dominus Deus, qui est
petra & soliditas cordis mei, pactioq; mea, vigilat ad

N 3 tuen-

tuendum & bene afficiendum me. Vox dilecti mei pulsantis, diuinitate sua vates sacros perfundit & eorum legatione utitur ad mane atq; vesperi commonendum. Aperi mihi, ne causam praebeas ut abs te abstrahar. Quia caput meum plenum est rore. oratio hominis, qui nocte adueniens pultat fores dilectae suae & ait se adductum amore eius nocte, tempore roris & pluuiae, accedere. Mysticè, ego plenus sum affectu & quiete spiritus Abrahae patris tui. eius enim opera habui perinde grata atq; rorem. En me, qui ad te venio onustus benedictionibus & donis ad rependendum opera honesta, si quidem ad me redeas. Cincinni mei guttis nocturnis. in manu quoq; mea plurima vindictae genera, ut ulciscar deserentes & auersantes me. Ros designat tranquillitatem. Guttæ nocturnæ pluuiaq; noctis laborem & fatigationem. רִסִי Chaldaicè guttas significat. hinc illud, sicut gutta super herbam, Chaldaeus transtulit מלִקוֹסֵי כִרְסִי. Cincinni, קוֹצוֹת cohaesiones pilorum capitis, qui simul colligati sunt, quas vocat Plostr. Quia autem facta fuerat mentio roris & guttarum, statim meminit Salomon capitis & cincinnorū: quod his ros & pluuia soleant incubere. Prætereà tam ros quàm gutta in bonam partem intelligi possunt, ut merces quæ assignatur leuioribus præceptis, quæq; factu procliuiora facilioraq; sunt, sit tanquam ros, quæ verò grauioribus & molestioribus, tanquam guttae noctis seu pluuiae & imbres.

3 Exui tunicam meam. Iam didici aliam viuendi rationem, ut iam ultra ad te redire nō possim. In quam
sen-

sententiam in Ieremia, ex quo tempore cessauimus adolere militiae cali, &c. Illa enim viuendi ratio eorum oculis gratissima erat. Porro hæc verba, Exui tunicam meam, abluī pedes meos, continent mulieris adulteræ responsum, quæ aperire viro suo renuit. Quoniā autem ceperat dicere, Ego dormio, ut persisteret in metaphora ad finem periodi subiicit, Vox dilecti mei pulsantis. pulsare enim vulgò fores solent sub somni nocturni accubationem.

4 Dilectus meus misit manum suam ex foramine, quod erat ad ianuam, & vidi manum eius. Itaq; sic in me viscera mea contracta sunt, ut cupierim redire de integro in gratiam & dilectionē eius atq; aperire ei.

5 Surrexi ego ut aperirem dilecto meo, & manus meæ stillarunt myrrhā. corde integro & anima expetibili, ut quæ se ita ornat, ut viri sui amorem demereri possit odoris fragrantia. Myrrham transeuntem. spiritum manantem & diffusum in omnē partem.

6 Sed dilectus meus verterat se se. קַמֵּךְ recondiderat & occuluerat se. ut, חֲסוּתֵי חַמְסֵי occultationes famorum tuorū. femur enim occultum est, sic quousque חֲסוּתֵי חַמְסֵי occultaberis & tegeris ob pudorem, quod præuaricata sis in me. Anima mea exierat, cū ille loqueretur. & diceret, Non veniam in domum tuam, quia initio aperire noluiisti.

7 Inuenerūt me custodes, qui circuunt urbem, ut comprehendant fures, qui noctu grassantur. vulnerarunt me. cōciderunt me vulnerebus. nam חַמְסֵי, quæ voce utitur, significat plagam, quam ferrum bellicum infligit.

fligit. naurerie vernacule. Peplum meū. ^{אֲרָמָה} orna-
 mentum quod extensum, expansumque erat super me.
 haētens de muliere adolescentula quæ maritum sibi à
 pueritia conciliatum & deflet & quærit. Mysticè, di-
 lectus meus misit manum suam per foramē, immissa ul-
 tione, cum enim dixissem, abluisse me pedes & ideo me
 ei non aperturam, neque derelicturam cultum alienum,
 quem mihi iam delegeram, Misit manum suam, &
 ostendit indignationem suam rege Achaz, inducens in
 eum copias regis Syria, qui illum percuteret abductis
 captiuis magno numero, & interfecto Phacea filio Ro-
 melia. In Iuda verò eodem die centum & viginti milli-
 bus deletis. Viscera mea commota sunt. successit
 Ezechia filius eius, cōuersusque toto corde quasi sit Do-
 minum, totamque etatem suā ad pietatem reduxit: adeo
 ut nullū fuerit sæculum, quod cum hoc conferri possit,
 sicut explicatur in cap. פְּלִי. Explorarunt à Dano ad
 Bersabeem usq; , nec inuenerūt populū terræ à Gabalo
 usq; ad Antiochiam, virum aut fœminā, qui non exer-
 citatus esset in lectionibus de purificatione & immun-
 dicia. vnde Manus meæ stillarunt myrrham. Si-
 militer de Iosia scriptum est, huic similis rex non fuit
 ante eum. quoniā enim vindictam in promptu habuit,
 qua Deus exercuit Menassem & Ammonem, ut hanc
 scripturam, Misit manum suam per foramen, con-
 firmaret, viscera eius in ipso conturbata sunt. Aperui
 dilecto meo, sed verterat sese. non reuocauit senten-
 tiam suam. in Ezechia enim scriptum est, diebus pro-
 cedētibus tollet quicquid in domo tua est, &c. & à filiis

tuis

tuis quos generabis, Daniele scilicet, Hanania, Misae-
 le & Azaria, &c. Similiter in Iosia, per Oldam pro-
 phetissam. En ego, adduco malum in locum istum &
 in habitatores. Etsi enim, uti scribitur, similis rex
 ante eum non extitit, tamen non auersus est Domi-
 nus ab ira furoris, qua vehementer exarserat in Iudam,
 prouocatus flagitijs Menassis, & testificatus, Etiam
 Iudam tollam à facie mea, quemadmodum sustuli Is-
 raëlem & reijciam urbem hanc. Anima mea exierat
 cum ipse loqueretur. egressa erat à me cum verbum
 hoc diceret. Quæsiui eum & non inueni. Si obijcias
 Ieremiā qui extabat & vaticinabatur Regibus Ioachi-
 mo & Zedechia in hæc verba, reuertimini ad me &
 reuertar ad vos, respōdebo, Dominum non significare se
 planè abrogaturum sententiam, sed mitigaturum vin-
 dictam & cōfirmaturum regnum eorum, ubi redijissent
 ab exilio, illis absq; eradicatione plantatis & edificatis
 absq; destructione. Inuenerūt me custodes Nabug-
 donosor & exercitus eius. Qui circuunt urbem, ut
 persequantur iniurias Domino illatas. Tulerunt pe-
 plum meum, ædem sanctuarij. Custodes mœnio-
 rum. etiam angeli administratorij, qui custodes erant
 mœniorum eius. hinc illud, super muros tuos Ierusalem,
 incenderunt per eum lucem, quod alibi dictum est, ex
 alto ignem misit.

8 Adiuro vos ô gentes quæ paretis Nabugdonozo-
 ri, quæq; vidistis quàm prompto animo Ananias, Aza-
 rias, & Misael se foco igneo exposuerunt, Daniel lacui
 leonum, ne edicto regio de non orando Deo consentiret,

○

que-

quæq; qui ætate erant Mardochei, temporibus Hâmânis, pericula subierunt. Si inueniatis dilectum meum, venturis temporibus, in die iudicij quo requiretur à vobis ut de me testificemini, iuxta illud, dabunt testes suos & iustificabuntur. Quid indicabitis illi, quid de me testificabimini, nonne me ipsius causa apud vos multa perpeffam? veniet Nabugdonozor & mihi testimonio suo aderit. adueniet Eliphaz, Sophar & ceteri exterarum nationum vates atq; testabuntur, quàm sedulò legem impleuerim.

9 Quid excellētius dilecto tuo, quàm cæteris, sic interrogabāt gentes Israëlē, Quid Deus vester præ reliquis, ut ita ipsius nomine comburamini & suspēdamini? Quia sic adiurasti nos, ut testificemur ei amorem tuum.

10 Dilectus meus nitidus. נצ significat elegātem & nitidum, ut נצ nituerūt præ lacte, in Lamentationibus. Et rubicundus, cōmendatio formosi adolescentis, cū candidus est, vultu eius intereā subrubente. Vexillatus de myriadibus, multis admodū stipatus exercitibus adeo ut exercitus eius myriades. sic verò quamplurimos vocant, ut in Ezechiele, Myriadem sicut fœnum agri dedi te.

11 Caput fulget instar spherule obrizi. כתר (quod spherulam vertimus) significat peculium regum, quod reponunt in ararijs suis, ut, mutabitur הכתר, spherula aurea. Item להכנס, globo aureo dixi spes mea es, & monile הכתר, auri. Cincinni eius densi. תלתלים quasi suspēnsi, vernaculè pendās. Nigri ut coruus. omnia

hæc

hæc pulchritudinis argumenta sunt in iuvene.

12 Oculi eius tanquam columbi ad riuos aquarum. oculi eius ad fluenta aquarum pulchri sunt, sicut oculi columbini. Fluēta aquarum iucunda sunt aspectui, ac illò iuvenes exeunt deambulandi causa. Ita laudat lyricus quidā poëta, Oculi dilecti mei, cum ipse intuetur in fluenta aquarum, similes sunt pulchritudine oculis columbinis. Abluti oculi dilecti mei lacte. Siti super plenitudinem. hæc omnia indicāt venustatem sponsi. Non eminent plus æquo, nec demersi sunt, aut profundi, sed residēt in plenitudine orbis sui. Metaphorice enim plenitudo significat quod comparatum est ad replēdam foueam, quæ alicuius rei receptandæ capax est. ut, lapides plenitudinum. Item, repleuisti eo plenitudinem lapidis.

13 Malæ eius tanquam arca aromatica. Ibi enim in illis arcais sunt plantæ aromatica & unguentaria. Turres pigmentorū. virgæ & ppagines aromatum, quibus pharmacopolæ opus suum condiunt & miscent.

14 Manus eius orbis aurei, veluti spheræ aureæ.

Impleti hyacynthis. Lapidis preciosi in aurum immisio vocatur impletio seu plenitudo. Nitor eboris.

תשן crassitiē sonat, ut, pingues facti & תשן, incrassati sunt. Massa densa, vocatur תשן. Gallice masse. Ebur seu תשן dens est elephantinus. Tecti. תעלבת ornatu & adaptati sapphyris, ut, in Genesi ותעלבת, cuius Chal-

dea interpretatio ואתקוה & adaptata est. 15 Crura eius Columnæ marmoris fundatæ super bases obrizi. columna תשן marmoris. תשן enim idem quod

○ 2 תשן

Ezec. 16.

Lam. 4.

calami & 9.
culmi.

Ier. 5.

Gen. 38.

E. I.

Ἐστὴν marmor, ut in libro *Esteræ*, super globis argenti & columnis Ἐστὴν marmoris. Aspectus eius, procerus sicut cedri Libani. Electus ut cedri, eximius inter filios, sicut cedri inter reliquas arbores.

15 Palatum eius dulcedines. verba eius dulcia.

16 Dilectus meus. ea est species dilecti mei, hac forma socij mei, & ob hac omnia amore eius agra sum.

Allegorica ex-
positio.

Allegoria ad Deum refertur hunc in modum. Dilectus meus nitidus & candidus ad dealbandas iniquitates meas. Nitidus & cādidus, cū apparuit in Sinai, referebat speciem antiqui literarum professoris. Item cū iudicio præsidebit vestimentum habiturus est candidum niuis instar, pilūmque capitis canum sicut lanam. Rubicundus ad ulciscendum inimicos suos, in quam sententiam *Esaias*. Quare ruber es vestimentis. Vexillatus de myriadibus. multi exercitus cingunt eum. Caput eius aurum obrisum. principia verborū eius fulgent instar auri puri puti. hinc psalmus canit, Ostium verborum tuorū illuminat. Ostiū illud habetur in *Exodo*. Ego Dominus Deus tuus, ubi ostenditur primū ius regni penes Deum esse, deinde decreta populo sanciantur. Cincinni eius densi. In singulis cincinnis cumuli multi lectionum. Nigri ut coruus. etenim supra ignem lucidū scintillabat obscurus & ater in *Israëlis* conspectu. Glossemate alio Cincinni eius densi indicant Dominum, cū ad mare rubrum visus est specie iuuenis acriter depugnantis. Oculi eius ut columbi ad riuos. sicut columbi oculos dirigunt ad * fenestras suas, ita oculi Domini prospectant ades ecclesia-

* Ad columba-
riorū forami-
nas.

rum

rum suarum & gymnasiorum, ubi scaturigines legis, quæ comparantur aquis. Abluti lacte. cū contemplantur iudicium, illustrant ius ex aquo & bono, iustum pro iusto habent, eiq; tribuunt secundum integritatem ipsius, contra damnant impiū, eiusq; viuendi rationem retorquent in caput. Stantes super plenitudinem, in plenitudine uniuersitatis. Spatiantur in omnem terram contemplantes probos & improbos. Adde hanc de discipulis sapiētum interpretationem. Deus tribuit illis oculos ad illustrandū mundum, ut & oculi præbent hominibus lucem. Sicut autem columbi, si vel paululum abieris, emigrant ut sibi cibum queritent, ita & illi abeunt è schola huius sapiētis seu philosophi, in alterius, ad peruestigandos legis sensus. Ad riuos aquarum, ad academias, quæ sunt aquarū legis emissiones. Abluti lacte. *Heb.* חֲרוֹצוֹת feminini generis, quia oculus apud *Hebræos* femininū est. Indicatur verò hi qui nitidos se reddunt lacte legis & declarāt arcana mysteriaq; eius. siti super plenitudinem. accommodates verba ad modos seu tropos suos. De his hæctenus. Alia expositione, Oculi designāt sectiones legis, lectiones & tractatus talmudicos, qui referūt columbos, qui incessu speciosi sunt, Ad riuos aquarū, in ludis literarijs. Abluti lacte, nitidi facti lacte, uti iam exposui. Malæ eius. verba habita in monte Sinai, ubi illis ostentauit hilarem & lenem vultum. Labia eius rosæ, verba quæ locutus est in tentorio fæderis seu conuentus, pertinebāt ad placationem, veniam, odoremq; suauem, ut lex oblationis pro peccato, pro delicto sacrificij quotidiani, ho-

O 3 locau-

locūsti & pacificorum. Manus eius tabulæ, quas dextra sua dedit, quæq; opus manuum eius sunt. Orbes aurei, significatur decalogus, qui tabulis continebatur, optabilior auro & obrizo copioso. R. Iosua filius Nehemia illas dixit prodigiosas, quod adamantina essent & interea volubiles. dici prætereà possunt וְלִילֵי שֵׁן orbes & q. volumina, quod bonum in hanc uniuersitatem deuoluerint. Impleti hyacynthis. nam præcepta trecenta & tredecim numero decalogum implent. Viscera eius nitor eboris. * ea est lex sacerdotū, quæ in medio quinque librorum legis edicta est, ut viscera quæ in medio corporis collocata sunt. Eboris tecti sapphyris. lex apparet lauis & blanda tanquam nitor eboris, constatq; subtilitatibus multis, rationibus à pari, à fonte & origine, à minori, à maiori. Fundatæ super bales auri. Columna hæc, ait R. Eleazar Hakkapar, supernè coronamentum & epystilium, infernè basin habet. Ita, inquit R. Bârghara, sectiones legis supernè coronam, infernè basin accipiunt, & coherent cum antecedentibus & subsequentibus. Exempli causa, sectiones de anno septimo seu anno remissionis, de Iubileo, atque illa, cuius initium, Cùm vendideritis venditione, copulata sunt, ad demonstrandum, quàm molestè annus septimus transigatur à pauperibus, quemadmodum explicatum est in talmud, tractatu de astimationibus & de tabernaculis. Similiter num. 27. sectio, cuius initium, præficiat Dominus aliquem multitudini, & cuius exordium, Præcipe oblationem meam panem meū, in hanc sententiam. Tanti sper dum mādās mihi de filijs meis (ut illis

* Leuiticus.

Ier. 25.

Leu. 25.

Num. 28.

illis aliquem præficiam) etiam tu eis de me manda (ut curent oblationes meas) Et sic aliæ complures, ut proinde rectè scriptum sit, Crura eius columnæ marmoris fundatæ. Aspectus eius ut Libanus. qui attendit & intelligit verba eius, obuios habet flores & dactylos, ut hac in sylua quæ floret, atque ita qui verba legis meditatatur, in illis sensus renouat. Electus, eximius sicut cedri, quæ ad ædificia, robora & altitudines deliguntur. Palatū eius dulcedines. verba eius suauia, ut, Stigma animæ nō ponetis in carne vestra. Et, Ego Dominus, qui fidelis sum ad rependendum mercedem. estne palatum isto suauius? Et, Ne corrumpatis opera vestra & recipietis præmium. Et, ubi conuersus fuerit impius ab impietate sua, iudicium & iustitiam ediderit, uiuendo uiuet, iniquitates eius illi ducentur innocentia, an ne est palatum aliquod isto dulcius?

COMMENTARII ABBEN

Ezræ In 5. Cap. & primum uocum explicatio.

I Collegi myrrham meam אֲרִיחֵי, ut, in Lamætationibus, אֲרוּחַ collegerunt eam quicumq; illac pertransibant. Fauum meum. sic & יַעַר alio loco accipitur יַעַר הרבט fauus mellis. Cum lacte meo. sunt qui existiment חלב hic significare cādorem illum, quem uinum despumat, ut sonet quod in Ezechiele חלבון, in ui- Ezech. 27. no, inquit, cādido. Atqui id alienius est, cū præsertim חלבון sit nomen loci, non autem adiectiuum. Itaq; חלב hic accipi debet pro lacte.

2 Pulsantis. *Heb.* פּוֹפֵק *arctatis*, ut *Iud.* 19. פּוֹפֵקִים
 qui arctant se ad ostium. *Integra mea. perfecta mea.*
Cincinnati mei. *Heb.* קוֹצוֹתַי per metathesim explicari
 debet pro קוצות, extremitatibus pilorum. *Guttis.* רְסוּסֵי,
 deriuatur à themate, quod apud Ezechielem, לְרוֹס ad
 conspergendum similam.

Eze. 46.

3 Inquinabo eos, nam מְנַחַּהּ lingua doctorum nostro-
 rum inquinare significat.

4 Ex foramine, per foramen, quod interiectum est
 inter duas valuas.

Can. 7.

6 Verterat sese, חָסַק scilicet significat abire, ut infra
 חֲסוּקֵי, abitus famorum tuorum. sunt qui eadem signifi-
 catione usurpēt illud *Ieremia*, וְשִׁקְוֹ חָסַקִין
 abibis, sed sensu alieniore.

Ier. 31.

7 Peplum meum. רְרוּרֵי lingua Ismaëlica significat
 velum.

10 Vexillatus. רְנוּל significationē mutuatur à רָנַל,
 Vexillum.

11 Aurum. *Heb.* כְּתָם res est rotunda de monilium
 genere. כְּתָם autē, quod obrizum vertere solemus, signifi-
 cat, lapides preciosos. *Cincinnati eius. extremitas pilo-
 rum eius. Densi.* *Heb.* תְּלַתְלִים acerui, idem quod sim-
 plex תַּל, aceruus, cumulus, ut in Ezechiele super mon-
 tem editum וְתַלְתַּלִּים cumulatam.

Eze. 17.

12 Super plenitudinem. super adaptationem, ut,
 implebis in eo מְלֵאכָה plenitudinem lapidis.

13 Area. *Heb.* עֲרוֹנָה, hæc vox significat partē loci in
 horto. *Turres.* *Heb.* מְגִדֹּת quidā deducūt à מְגִדָּה ma-
 gnus. at rectius est ut sit plurale à singulari מְגִדָּה turris.

14 Or-

14 Orbes. עַל גְּלִילֵי כֶסֶף sonat veluti sphaeras, ut
 super orbis argenteos. *Impleti hyacinthis; ornati &
 calati, ut in Exodo, וּמְלֵאכָה, implebis in eo, calabis in
 eo. Hyacinthis.* *Heb.* חֲרִישֵׁי, lapidis preciosi gen^o est,
 ut in lege, Tarsis, onix & iaspis. sunt qui scribāt esse co-
 lore ceruleo & caelesti. *Viscera eius, venter eius. Ni-
 tor, עֵשֶׂה vas est confectum è dente elephantino can-
 didi coloris. Ita autem vocatur, quia nitet, ut in Iere-* Lam. 4.
nia. pinguefacti sunt & עֵשֶׂהוּ, nituerunt. Tecti. *Heb.*
מְעוֹלָפָה, quo significatu in Genesi, וְחַתְעֵלָה & textit se.
sapphyris. lapis est preciosus rubro colore, ut ex Iere- Lam. 4.
*mia liquet, Rubuerūt osse præ gemmis, sapphyrus seg-
 mentum eorum, similitudinem enim candoris iam his
 verbis præmiserat, sicut lac & tanquam nix. Errat au-
 tem, ut hoc obiter admoneam, qui illud Exodi, sicut o-* Exod. 24.
*pus לבנת הכפז exponit à לבן, albus. nã non est aliun-
 de interpretatio querenda, quàm ab hoc loco, Cape tibi
 לבנה, laterem, ut hæc adiectio, Sicut opus, satis ostēdit.
 Quo enim sensu iungere possis Opus cū candore? dicen-
 dum enim fuisset, sicut aspectus candoris, nō sicut opus.*
 15 Marmoris. *Heb.* שֵׁשׁ pro visitatiore שֵׁשֶׁת marmor,
 quali norma repperies pro eodē aliquo sydere עֵשׂ & עֵשֶׂה

Declaratio dramatis.

1 Veni, inquit Sponsus, in hortum meum, & messui
 myrrham meam, in hunc sensum, satiatus sum omni bo-
 no, nec mihi quicquam præter speciem tuam deest. præ-
 terea ne timeas quia sodales meos, Pastores (ut dictum
 est principio per greges sodalium tuorum) vino

P ci-

cibisq; satiaui. Sponsa subiicit.

2 Ego dormio, etiam si dormiam, tamen cor meum veluti vigilat. Id bis dixit, primum quidem per somnium, nunc vero ubi ad se in hortum suum venisset, quod iam illud obtestata fuerat, Excitare Aquilo. Vox dilecti mei pulsantis. hac nuda loquitur. ceterum tota sectio clarior est quam ut explanationis egeat.

9 Vexillatus de myriadibus. veluti vexillaris inter socios suos.

13 Malæ eius. barba eius. Turres. mala eius circum eum sunt veluti turres.

14 Impleti hyacinthis. hoc pertinet ad pilum qui est super manus eius. Viscera eius nitor eboris. cingulus lumborum eius iuxta viscera eius cinctus. Non enim nudus est.

15 Super Bases auri pedes & articulos eorum. Aspectus eius ut Libanus, qui visu est optatissimus.

Declaratio allegoriæ.

1 In hortum meum, inquit diuina maiestas, veni, nec tamen cuiusquam indigeo. quoniam ut est apud Psalmographum, mea est omnis bestia saltus. si re aliqua habeam opus, omnia mea sunt. Fauum meum cum melle meo, cibum apposui sodalibus meis, angelis. quo igitur pacto ais, & comedet fructum deliciarum suarum. Postquam autem Dominus subduxit se in sublime, Israëlita Babylonem emigrarunt, ubi Ecclesia Israëlita, Ego in hoc exilio dormio uti is qui in tenebris est, sed Cor meum vigilat, quia cupi redire in gratiam cum diu-

diuinitate, sicuti antea.

2 Vox dilecti mei. illud est, quod legitur. Excitauit Dominus spiritum Cyri regis Persarum. Quia caput meum plenum est rore. non habitauit in aede. allegoria explicatur apud Aggeum. Tempus ne est ut vos habitetis in domibus vestris laqueatis & hæc domus deserta sit? Aut ros significabit lachrymas Israëlitarum qui ascenderunt ab exilio.

3 Exui tunicam meam, cum segnes erant Israëlita ad ascendendum & edificandum aedem Domini.

4 Ex foramine. è fenestra firmamenti. hinc scribitur apud Ezrã, Vaticinabatur Aggeus & Zachar. fili? Iddo.

5 Surrexi ut aperire dilecto meo. hæc est edificatio templi. Cogitabant quidem Deum habitaturum esse cum eis & ita eos Domini vates sperare iubebant, ut, habitabo in medio tui, siquidem rectam viam tenuissent, verumtamem ille non est ingressus cum eis, quia sequitur,

6 Quæsiui illum sed non inueni. Exierat anima mea, cum ipse loqueretur. anima mea veluti excedit, cum recordor verbi, quod mecum antiquis diebus habebat.

7 Inuenerunt me custodes, Reges Græciæ. Percusserunt me, tulerunt peplum meum. reliquerunt me nudam præceptis, & ego interea inhærebam Domino ægrâq; eram amore, neq; colui Deos externos.

10 Dilectus meus elegans. opera enim eius pura puris. Et rubicundus, prouocantibus eum ad iracundiam, iuxta id Esaiæ, quare rubra sunt vestimenta tua? Quod autem dicit, Vexillatus de myriadibus, tale est, qua-

le illud Danielis, millies millia ministrabant ei.

Psal. 118.

11 Caput eius aurum obrizum. thronus gloriæ. Nigri vt coruus, iuxta illud, ponit tenebras latebram suam, circum se tabernaculum suum.

Hab. 1.

12 Oculi eius. vt scriptũ est, in omni loco oculi Domini. Abluti lacte, hinc apud vatem, mundior oculis, quàm vt videas malum.

13 Malæ eius. intellige principes, qui assistunt vultui. Labia eius. angeli qui mittuntur ad homines, vt Gabriel.

Eze. 1.

14 Manus eius orbes aurei. rotæ, de quibus in principio Ezechielis. porrò ad hanc vocem hyacinthorum alludit idem Ezechiel, aspectus rotarum & opus eorum in speciem hyacinthi. Viscera eius. cingulus medius, in quo sunt similitudines Syderum.

* Læuũ mudi, dextrũ, superũ, inferũ, anticũ, posticũ, vide lib. I. c. 1. 74.

15 Crura eius. corpus, ex quo procreatus est mundus. indicantur autem per שש (quod vertunt marmor & eriam sex significat) termini * sex. Bases auri. terra, qua sententia dictũ est in Iob, super quo bases eius demersæ sunt. Aspectus eius vt Libanus. in Libano enim arbores innumerabiles sibi videre quis videatur. Itaque cum vnã earum contemplatur, cogitat alteram non ei esse similem. verũm ulterius progrediens incidit in mirabiliorem & præstantiorem. Ita opera Domini. Electus vt cedri. Ipse enim permanet & opera eius similitè, tantumq; abest vt pereant, vt noua sint singulis crepusculis. vsque adeò multa est veritas eius.

Iob. 38.

Lam. 3.

COMMENT. R. INNOMINATI.

I Respon-

1 Respondit autem mihi dilectus meus, Ego veni in hortum meũ soror mea spõsa, &c. Messui, אריה, de significatu collectionis. cui simile extat in scriptis doctorum nostrorũ beatæ recordationis כמלא אורה וסלו veluti plenitudinem metit & cartallum eius. Fauum meum cum melle meo. יער est canna repleta melle. (saccharũ). Hinc Chaldea paraphrasis חרס, caricis siue iunci, est יער. Comedite amici. & letamini etiam vos ex letitia & gaudio nostro.

2 Ego dormio & cor meum vigilat. Ego aliquãdo dormiebam (ait dilectã socijs suis) cor autem meum vigilabat. Tum verò audiui vocem dilecti mei, qui pulsabat fores ostij vt ingrederetur ad me, dicebatq; Aperi mihi soror mea, socia mea. Cincinni mei, capilli mei. Guttis noctium רסוסי stillæ, unde locum scripturæ, רסוסי על עשב, Chaldeus transtulit מלקושה stillas super herbam.

3 Ego autem respondi dilecto, Ecce me, modo Expoliaui me tunica mea, & quomodo induar illa, itaque torpui, neq; protinus adij.

4 Et dilectus meus misit manum suam per foramen & tetigit pessulum, eo vt aperiret. Quãprimũ autem vidi eum, Viscera mea fremuerunt super me.

5 Myrrha transeunti. Myrrha, cuius odor longissimè traducitur. Super palmis pessuli. in loco, quem tetigerat dilectus meus.

6 Et dilectus meus declinauerat atq; trãsierat, absconderat sese & transierat, abieratque sibi dicens

P 3 mihi,

mibi, Ne aperias mihi nunc. Et anima mea liquefacta est, vt locutus est, verbum illud.

7 Peplum meum. *רִירִי* ornamentum operis ductilis & passi candidum, nitidum & purum.

10 Vexillatus in myriadibus, in loco in quo sunt myriades hominum. magnus est & insignis ultra omnes, veluti vexillum.

11 Aurum optimum, *כֶּהָם פֶּן* margaritū preciosum. Comæ eius cumulata, capilli eius, qui faciunt cumulos, nigri sunt velut coruus. Quæ pulchritudo est hominis albi & rubicundi.

12 Oculi eius columbæ, similes sunt oculis columbarum, quæ inueniuntur iuxta riuos aquarum, quæ non dirigunt oculos nisi ad suos coniuges. Sic oculi dilecti mei non nisi spectant me. Loti sunt oculi dilecti mei lacte, residetes super plenitudine, vt impleant foeolam suam.

13 Genæ eius habent fragrantem odorem sicut areolæ aromatum. Turres genarum eius pigmenta aromatum.

14 Tarnationes auri. Sicut rotula aurea plenæ sunt Tarsis, qui lapides sunt preciosi, sic manus eius similes sunt ocellationibus (& variegationibus) auri cõfecti ad includendū Tarsum, Viscera eius eburnea. Venter eius similis est fragmento eboris operi sapphyris. *וַע*, ebur, est os elephanti, *מִעֵלְפָן* rectum & opertum significat, vt, & textit se peplo & *הִלְבַּת* inuoluit se, in Genesi.

15 Crura illius similia sunt columnis primarijs, quæ fundantur lapidibus aureis.

16 Talis

16 Talis est dilectus meus. huiusmodi est species dilecti mei, qualem dixi vobis. Et proinde agrasum amore.

1 Quo abiit dilectus tuus, respondent socij eius. Cùm eo vsq; pulcher sit dilectus tuus, dicito nobis, quo abierit, vt quæramus eum tecum. Cùm etiam nos cupiamus cernere eū & ei adiungi. Illud est quod sequitur.

CAP. VI.

1 **D**Vella. Quò profectus est dilectus tuus ô mulierū pulcherrima? quò sese vertit dilectus tuus? vt quæramus eum tecum.

2 Sponsa. Dilectus meus descendit in hortum suū ad areas aromatis: vt pascat in hortis (oues) & vt colligat lilia.

3 Ego dilecti mei, & dilectus meus meus est, qui pascit in lilijs.

4 Sponsus. Pulchra tu amica mea vt Tirsa, venusta vt Ierusalem, formidabilis vt ^a castra.

5 Auerte oculos tuos à cõspectu meo, quia ipsi ^a extulerunt me, pilus tuus vt grex caprarum, quæ prominent ex Galaad.

6 Dentes tui tanquam grex ouium, quæ ascenderūt è lauachro, quæ omnes gemellos pariunt, nec ^d orba est inter illas.

7 Tanquam fragmen malogranati ^e tempus tuum intra comam tuam.

8 Sexaginta sunt reginæ & concubinæ octoginta

^a Es.
^b Vt vexilla-
^c sup. castra.

^d Infolentiorē
reddiderūt vt
vix mei sim
compos.

^d Sterilis.

^e Tēpora faci-
ciū tuæ.

- f* *virgines.* ginta atque *f* puellæ innumerabiles.
 9 Vna est columba mea, integra mea, vna est
 matri suæ, pura est genitrici suæ, viderunt eam
 filiæ & bearūt illam, Regina & concubinæ, atq;
 collaudarunt eam.
 10 Quæ est hæc, quæ prospectatur vt aurora,
 pulchra vt luna, pura tanquam sol, formidanda
 vt acies vexillis insignitæ?
g *Nucum.* 11 *Sponsa.* In hortū *g* nucis descendi, vt videam
h *vel vallis.* fructus *h* torrentis, vt spectem num floruerit vi-
 tis, (num) germinarint mali punicæ.
 12 Me nesciente posuit me anima mea quadri-
 gas hammi nadib.

Interpretis obseruationes.

- 4 Tirsæ regia erat Regum Israël ante Samariam 3.
 Reg. 14. Ierusalem longè pulcherrima vrbiū orientis, in-
 quit Plinius lib. 5. nat. Hist. cap. 14. Caterum hîc obser-
 ua mulieris præcipuas virtutes, venustatem erga mari-
 tum, erga reliquos maiestatem.
 5 Describitur encomium Ecclesiæ. oculi eius sunt p̄i
 pastores & doctores, capilli multitudo in Ecclesia.
 6 Dentes, qui in ea sunt firmiores nec indigent la-
 cte sed cibo solidiore.
 7 Tempora quæ è comis fulgent & ad quæ coma
 propendet, qui & pudicitia & pudori student. in tem-
 poribus enim pudor cernitur maximè.
 8 Allusio ad numerum uxorum regiarum & con-
 cubinarum Salomonis, quæ omnes mille erant numero.
 3. Reg. 11.

3. Reg. 11. Ecclesiæ malignorū multæ. alij Mahumeta-
 ni sunt, alij Iudæi, pars Idololatra, pars Mauri, nonnulli
 heretici, quidam semichristiani & horum omnium va-
 ria familia & multiplices.
 9 At vna est, sancta, Catholica & Apostolica Ec-
 clesia, quam Deus sponsa loco habet: vide Psal. 45.
 Noster Epiphanius in epilogo Panarij hunc locum ita
 tractat. Regina, inquit, sunt quæ iam antea in genealo-
 giam nomina dederunt anima. Vt enim Regem comi-
 tantur multitudines magnæ, Rex autē est caput, sicut
 cum in corpore multa sunt membra, à capite vnus homo
 numerabitur, ita ab vno Rege tota multitudo quæ sub
 Rege est ad vnū reputabitur. Regina autem appellata
 est generatio in Christo, non quod omnis generatio re-
 gnarit, sed quod vna quæ agnouit Dominum, per appel-
 lationem, viri causa, regiam dignitatē ac ordinem ha-
 beat. Verbi gratia, Adam & tota ipsius generatio Re-
 gina numerabitur, principatus autē ipsius & patriar-
 chatus qui regnauerunt cum his, qui cum ipso fuerunt,
 propter cognitionem Dei & propter formationem, qua
 formari primus dignus factus est, & quod primus pœ-
 nitentiam ostendit, velut rerum cōsequētia habet, de-
 inde post hunc Seth & vniuersa cum ipso humana na-
 tura, & Enos, & Cainan & Malaleel & Jared &
 Enoch & Mathussala & Lameth & Noe, his san-
 ctis ex ordine in numero per generationes enumeratis,
 quorum numerus apud Mattheum indicatur. Sexag-
 inta enim generationes & patriarchatus apud ipsum
 habentur, per nomina præstātorum virorum, qui cogni-
 tionem

tionem Dei habuerunt. Ab Adam enim vsq; ad Christum sunt generationes 62. quæ hic 60. per compedium numerantur, ut cum 72. stirpes palmarum in lege 70. nominantur. Pellices autem sunt secta & hæreses. Ecclesia autem una est ab una fide genita per Spiritum Sanctum.

10 Inter alia sidera luna maximè noctu perspicua, inter diu Sol: sic Ecclesia in monte posita formidabilis diabolo & ceteris hostibus, ut vexillata sup. castra, id est, ut castrorum acies ordinata & instructa, uti noster interpretres eleganter transtulit. Nam Hebræi subaudiunt *חונק* castra.

11 De hoc versu controuertitur, cuiusnam verba sint, sponsine an, sponsæ. Hebræi existimant verba esse Domini, seu sponsi querentis, num ager suus fructum afferat. Alij, quorum potiore sententiam existimo, verba esse sponsæ descendens ut videat fructus qui rigantur in vallibus, torrentium defluuio, &c. nempe ut videat an Dominus secum mysteria sua, item & dona atq; gratias communicaturus sit. Hortus nucum conscientia est cuiusq; in Ecclesia.

12 Sponsa his verbis describit celeritatē, quam adhibuit in petendo nucum horto. Ceterum qui hic vocatur Hammi nadib, alias appellatur Hammi nadab. Nonnulli tamen appellatiuè exponunt pro populo spontaneo principisue, aut etiam populo principe. Lyranus respexisse ait Salo. ad Aminadab filium Aram abnepotem Iudæ patriarchæ. 1. Par. 2. socerum Aaronis Exo. 6. quem Hebræi scribunt ducem fuisse tribus Iudæ in exitu ex Aegypto, & primū post Mosem in diuisas rubri maris

aquis

aquis ingressum esse citra hesitationem. Fuit & alius Aminadab frater Dauidis Regis 1. Reg. 16. & 17.

COMMENTARIVS R. SELOMONIS in 6. cap. Cant.

1 Quo profectus est dilectus tuus. extera gentes probro & contumelia afficiunt Israël, & querunt, quò profectus est dilectus tuus, quare reliquit te desertam & viduam. Quò vertit se dilectus tuus. cum cōuertit se Dominus collocato spiritu suo super Cyrum, & facta restaurandi templi copia, ijs, qui illud adificare ceperunt, dicebant gentes, quò vertit sese dilectus tuus? Iam ne ad te redijt? Et quæremus eum tecum. In hanc sententiam Ezras, audierunt hostes Iudæ & Benjamin filios exulum templum deplorare, &c. accesseruntq; ad Zorobabelem, &c. Adificabimus vobiscum, nam quemadmodū vos, quærimus Deū vestrū & quæ sequuntur: atqui propositum illorum malignum erat, ut nempe impendiret opus templi. Ipsi autem respondent.

2 Dilectus meus in hortum suum. nos iussit adificare ædem suam, ut illic nobiscum sit. In arcam aromatis. locum in quo adoletur incensum. Ut pascat in hortis. & praterea descendit ut pascat oves suas in hortis ubi dispersæ sunt (non enim ascenderunt ab exilio) & collocet diuinitatem suam super eas in synagogis & gymnasijs. Et ut colligat lilia. audit & attendit loquentes de lege sua colligens innocentiam eorū & inscribens eos libro memoriarū in cōspectu suo, ut scriptū est in Malachia. Tunc loquuti sunt timētes Domini, &c.

3 Quod autem obtestamini vos eum mecum quasi-
situras, sum equidem, fateor, dilecti mei, at vos ad eum
minime attinetis, & propterea nobiscum non edificabi-
tis: hinc illud, Non vestrum est sed nostrum adifi-
care adem Domini nostri, & paulò post, vobis non
est pars, aut iustitia, aut memoria in Ierusalem. Qui
pascit in lilijs, oves suas in pascuis placidis & com-
modis.

* R. Selomò
appellatiuè p
beneplacito
intelligere vi-
detur.

4 Pulchra es socia mea, vt * Tirsa. Ecclesiã laudat
Dominus & ait, nonne propterea pulchra & elegãs es
socia mea, quonia accepta es mihi: sic allegoricè exponi-
tur in siphre. Venusta es nunc vt initio in Ierusalem,
Formidabilis vt vexillata castra angelorum. Terro-
rem tuum immittam in eos, vt non dimicent aut inter-
turbent te ab opere, vt scriptum est apud Ezram.

5 Auerte oculos tuos à me. alluditur ad iuuenem,
qui sponsam suam oculis elegantem sibiq; iucundissi-
mam ita alloquitur, deflecte oculos tuos à me. nam dum
eos intueor animo apud me tumeo sumq; insolentior, spi-
ritusq; meus ita in me attollitur, vt non possim * consi-
stere. Extulerunt me. הרהיבוני instarunt cor meum, vt
הרהיבתי insolentia eorum seu superbia, labor & vanitas, &
הרהיבתי insolentia eorum cessatio. Allegoricè, fieri non po-
test, inquit Dominus, vt reducam vobis arcam, propi-
tatorium & cherubos, qui in ade priore me efficiebant
insolentior, utq; ostenderem summam meam erga
vos dilectione, donec prauaricata es in me. Pilus tuus
vt grex caprarum. In paruulis, delicatulis & tenuio-
ribus, qui sunt inter vos, laus inest plurima.

* Obfirmare
me.

Psal. 9.

Es. 30.

6 Den-

6 Dentes tui, principes & fortes, qui in te sunt, om-
nes rebus bene agendis student. Vt grex ouium, ouis
hac tota sacra est, lana eius accommodata est colori hya-
cinthino, caro oblationibus, cornua buccinationibus, cru-
ra fistulis, intestina fidibus, cutis tympano. Impij autem
cõparantur canibus, qui inepti sunt ad sanctificatione.

8 Sexaginta sunt Reginae. Abraham & qui pro-
dierunt è famore eius, filij Ketura sedecim, Ismaëlis &
filiorum eius tredecim, Isaaci & posterorũ eius trigin-
ta, filij Iacob duodecim, filij Esau sedecim, vide librum
Paralip. Sic habes sexaginta dempta è numero Timna,
quæ fuit uxor Abrahæ. Et octoginta concubinae.
Noë & filij eius ad Abrahamũ vsque per generationes
vniuersas, quæ arca exierunt, efficiunt octoginta nume-
ro. Quemadmodum autem reginae, quæ sunt uxores re-
giae excellunt magnitudine concubinas, ita Abrahamus,
quiq; ab eo orti sunt habentur maiores & præstantio-
res reliquis omnibus, vt ex his constat. Hagar enim re-
gibus orta erat, similiter Timna filia erat principum &
tamen facta est concubina ipsius Esau: prætereà quæ est
in Genesi vallis Saué. q. equata, indicat equatos esse
omnes consilio vno & constituisse super se Regem Abra-
hamum. Et virgines absq; numero. in nationes mul-
tas hi omnes, quos enumerauimus, distributi sunt.

Gen. 35.

Gen. 4.

9 Vna est columna mea, at ex omnibus vna mihi
electa est columba perfecta, quæ erga coniugem suum
corde est sincero. Vna est matri lux. synagoga sua.
multæ quidem sunt familiae in scholis, at omnium mens
spectat ad intelligendam legem, vt rectitudo eius &

Q 3

veritas

veritas fert. Pura est genitrici suæ. Iacob cõspexit ipsum lectum integrum, absq; labe, atq; cõfessus laudauit Dominũ, ut dictum est, adorauit Israël ad caput lecti. Viderunt eam filix, Israëlitam gentem in magnitudine sua & beatam predicarunt. *Quanam vero est illarum collaudatio?*

10 Quæ est hæc quæ spectatur vt aurora. Spectans è loco edito in profundũ vocatur *הַמְּקוֹרִים*. sic ades sanctuarij editissima terrarum. Vt aurora, quæ progressu sensim collustrat, ita Israëlita in æde posteriore, principio Zerobabel Dux erat Iudæ & non Rex, erantq; nostri subditi Persis & deinde Græcis, sed postea Machabæi excusso iugo Reges facti sunt. Formidanda vt vexillata, formidanda fortibus suis militibus vt castra Regum quæ vexillis insignita sunt. His omnibus commendat Deus Ecclesiam Israëlitis, Pulchra es socia mea vt *tirsa*. Sed hæc satis sint.

11 In hortum nucis descendi. Hæc adhuc sunt verba diuinæ maiestatis, ecce veni ad te in ædem hanc posteriorem, Vt videam fructus torrentis. vt quis sit in te honestarum actionum humor videam. Num flourerit vitis, an florere faciat coram me discipulos sapientum, Scribas & Doctores. Germinarint mali punice. an præcepta puritate plena existant. Sed quare cõparati sunt Israëlita nuci? nẽpe quia nux tota lignea est, nec quid in eius medio sit, ante notum, quàm eam frangas, tum enim reperitur plena nucleis edulibus. Ita Israëlites humiles sunt, modestaq; eorũ opera. Philosophi, qui inter illos sunt latent, nec illorum laudes vulgò magnopere

gnopere celebrantur. atqui si scrutèris, multos in eis inuenies sapietia thesauros. Sunt præterea multa alia in hanc nucem allegoria. cadit in lutum nec tamẽ nucleus, quem putamine suo complectitur, maculam contrahit. Similiter Israëlita exulant inter profanos cadunturq; plagis multis: cum tamẽ illorũ opera minimè dānentur.

12 Nesciui. Ecclesia Israëlita deplorans, nesciui, ait, cauere à peccato. cum enim versaret in gloria & magnitudine incidi in odium gratuitum atq; seditionẽ. inualecente enim in Reges familiae Macchabæorũ Hircanum & Aristobulum ambitione, alter eorum in me Romanũ Imperiũ induxit, & seruus illi factus ab eius manu regno inaugurari voluit. Illo ex tempore anima mea posuit me vt essem currus * super quos ueherentur reliquarum gentium principatus. Hammi nadib. q. populi principis. Idẽ scilicet quod עם נריב Ham nadib, Iod superfluẽte, vt in sequentibus vocibus שוכני habitator rubi, גנבתי furtum diei, רבתי multa populo. Anima mea posuit me, ego illos mihimet præposui, iuxta illud, docuisti eos super te, vt essent duces in ca-
put tuum.

* Heb. ad uerendum super me principatus seu voluntates gentiũ.

Hier. 13.

COMMENTARII ABBEN

Ezræ & primum vocum explicatio.

4 Vt Tirsa. nomen ciuitatis, quam inuenies in historia Achabi. Formidabilis ex qua terror in spectantes manat, vt alibi formidabilis & metuendus. Vt vexillata. vt castra habentia vexillum.

5 Extulerunt me, הרהיבוני potetiores sunt me, mihi robur

Es. 51.

robur & dominationem adimunt, ut, quæ dolat רחב לו bur. & Psal. 90. ורחבם robur eorum labor & vanitas.

Dan. 3.
Iob. 8.

II. Nucis, אגוז nucem significare constat ex scriptis maiorum nostrorum beatæ recordationis. Fructus torrentis. אביס sunt fructus, ut in Daniele, אגוזי fructus eius multus, & alibi, dum adhuc est באבוי in fructu suo non excindetur. sunt qui interpretantur fructus prematuros, אבוי spica, & אבוי mense Iunio.

12 Hammi Nadib. duabus dictionibus. porro quidam tradunt iod vocis Hammi seu אבוי aduēritium esse per paragogem, instar iod loci sequēris, בני filius asinæ eius. atqui accommodatius est, ut י in exemplo בני, quod citant, paragogicum non sit.

Interpretatio dramatis.

2 Dilectus meus descendit in hortum suum, nempe præmonitus à sponsa, uti iam exposui, Veniat dilectus meus in hortum suum. porro cum surrexisset, sequuta est illum. is ubi eam vidit, pulchra es, inquit, sociæ meæ, pilus tuus & dentes tui etiam sicut fragmen mali punici, hoc sensu, tu dilectæ meæ es prisca, nec mihi cum alia commutaberis, quia ecce pilus tuus, dentes, temporaq; tuæ certissimæ sunt tui notæ: nec rationi consentaneum est, ut cum alia confundare, cum præsertim una sis in mundo nec ulla sit tibi similis. sunt quidem Salomoni sexaginta Regina, concubinae octoginta, virginesq; innumerabiles, verum tamen earum nulla ad tui similitudinem accedit. una enim es matri tuæ.

2 Dile-

Allegoria.

2 Dilectus meus descendit in hortum suum. is qui ascenderat sursum (seq; subduxerat) ut pascat in hortis & colligat lilia. ipse enim habitat cum angelis qui iusti sunt.

3 Ego dilecti mei. etsi descendit dilectus meus, ait synagoga Israëlita, in hortum suum, tamen ego illius sum & ipse meus est. cui diuinitas, Pulchra es. populū significans quem reduxit in ade posteriore.

5 Auerte oculos tuos à me. desierat enim propheta in templo secūdo, ut prædixit Daniel hac oratione, ad obsignandam visionem & prophetiam. vide commentaria mea ad librum Danielis. Pilus tuus. erant enim in ade secunda Nazarei. Dentes tui, fortes tui. Tempus tuū, sacerdotes. sexaginta. interpretes referunt 60. & 80. ad filios Noæ & filios Abrabæ atq; Esaiū nepotis eius. Virgines innumerabiles, quibus nulla inest nobilitas aut stemma. Vna est, ut gens una in terra.

10 Quæ est hæc quæ spectatur, ut supra, quæ est hæc quæ ascendit è deserto. hoc pertinet ad Machabeos, quorum temporibus regnū vigeat in ade secūda. In hortum nucum descēdi. subijcit Dominus allegoriā de Ecclesia Israëlita, cuius fructus nō antè apparet, quàm fracta sit. aduersum quod scriptum est, Incrassatus est Israël & recalcitrauit. spectavi, ut cernerem an florisset vinea, an in Israël iusti essent. sincero & recto corde.

12 Nesciui, Ego Ecclesia Israëlita non sensi, donec posuit me anima mea quadrigas Hammi nadib, hoc est,

R male

male animam meam affeci, tantisper dum currus alijs effecta sum. contra quam alibi scriptum est, Tunc super excelsa eorum incedes & inequitare faciam te excelsa terra. Alluditur ad odium illud gratuitum, quod exortum est tempore ædis posterioris, ex quo enatum est exilium hoc, quo hodie Israëlita opprimimur.

COMMENT. R. INNOMINATI.

2 Dilectus meus descendit in hortum suum. pro more suo, &c.

3 Ego dilecto meo & dilectus meus mihi. Ne putetis coniunctum iri vobiscum dilectum meum, qui pascit in lilijs, cuius odor manat perinde ac si pascus fuisset inter lilia.

4 Pulchra es amica mea. Audierat dilectus verba, quibus sponsa ipsum laudauerat. Itaq; ipse etiam laude exornat eam. Sicut Tirsa, vrbs nobilis & elegans, sicut Hierusalem. & proinde huic illam comparat & vicissim hanc illi assimilat. Terribilis, איומה à terrore nomen habet.

5 Auerte oculos tuos à me, cõuerte eos in partem mihi aduersam ne videas me. Insolentem fecerunt me: הרהיב, declarat elationem & eleuationem. Quæ apparuerunt, גלב, significat detrahi & descendere è loco superiore in inferiorem. Hinc Chaldeus בנכחה interpretatur בגלושוחיה. Capræ porriguntur in rectum connexionem, neq; disperguntur huc illuc.

6 Et orba non est in eis nulla earum deest è suo ordine.

7 Tan-

7 Tanquam fragmen mali punici, sicut segmen- tum mali punici, quod formosum est, sic speciosa est gena tua, id est, pudore offusa est.

8 Sexaginta sunt Reginae. q. d. etsi sexaginta & octoginta fuerint siue cõcubinae siue virgines, aut absq; numero, tamẽ una est columba mea, nobilissima omnium in cunctis enim nulla ei est par.

9 Viderunt eam filia Hierusalem & beatissimam prædicauerunt. & quidnam dicunt?

10 Quæ est ista quæ pspicitur sicut aurora, &c. חפצוּן quæ cernitur, quæ apparet, quasi aurora, quæ progressu augetem habet splendorem & lumen.

11 In hortum nucum descendi. Verba dilectæ ad dilectum. descendere in hortum nucum aliquando cupiebam, ut conspicerem fructus vallium, illic ut accom- modarem locum, in quo ambo oblectaremus nos.

12 Nesciui autem eò recta peruenire & erravi de via usq; adeo, ut anima & cupiditas mea, qua ducebar ad illuc proficiscendum, traduxerit posueritq; me in medio quadrigarum * populi incliti.

* Ita interpre-
tatio Ammi-
nadab.

CAP. VII.

1 **P**uella. Redi redi ô Sullamitis, redi, redi & contemplantur te. sponsa. Quid spectabitis in Sulla mitide, tanquam chorum castrorum.

2 Puella. Quam pulchri sunt a gressus tui in calceis ô filia principis, b circuitus fæmorū tuorum tanquam monilia, opus manuum artificis.

a Pedes.
b Ambitus
vertebræ.

R 2

3 Vmbi-

- e Vinum mix-
tum nõ deest.
ealis enim cra-
ter eximium
colorem inge-
rit, suum cum
vini specie mi-
scens.
d Facies,*
- 3 Umbilicus tuus crater rotunditatis, nõ deest
mixtio, venter tuus aceruus tritici, septus lilijis.
- e Vita,
f Hebræi ali-
ter distinguūt
rex alligatus
est canalibus,*
- 4 Ambo vbera tua tanquam duo hinnuli ge-
melli capreæ.
- 5 Collum tuum tanquam turris eboris: oculi
tui piscinæ in Hesbon, iuxta portam Bath rab-
bim. *d* Nasus tuus sicut turris Libani, prospiciēs
faciem Damasci.
- 6 Caput tuum super te tanquam Carmelus, &
coma capitis tui tanquam purpura *f* regis alli-
gata canalibus.
- 7 Quàm pulchra es & quàm iocunda (ô) a-
mor in delicijs.
- 8 Hęc statura tua similis est palmę & mamme
tuæ botris (palmarum).
- 9 Dixi, ascendam in hanc palmam, apprehen-
dam ramos eius, & sint quæso vbera tua tanquã
botri vitis & odor naris tuæ tanquam *g* poma,
- g (Odor) po-
morum.
h Vinum bo-
nitatis rectã.
i Rectã et ge-
nerosã.*
- 10 Et palatum tuum *h* vinum optimum, quod
it ad dilectum meũ *i* ad rectitudines, quod lo-
qui facit labia dormientium.
- 11 *Sponsa.* Ego sum dilecti mei & ad me desi-
derium eius.
- l Commore-
mur,*
- 12 Age dilecte mi egrediamur rus, *k* pernocte-
mus in pagis.
- 13 Manè surgam^o ad vineas, videbimus, an flo-
ruerit vitis (an) aperta sit gemma (an) floruerint
mali punicæ, Ibi dabo amores meos tibi.
- l. i. In præp. n.*
- 14 Mádragoræ dederunt odorem, & *l* in por-
tis

tis nostris omnes fructuum deliciae, nouæ atque
veteres: (hec omnia) *m* dilecte mi recondidi tibi. *m Amorem
meũ, Kimhi,*

Interpretis obseruationes.

1 Verba filiarum Ierusalem reuocantium sponsam à
cepto in hortum itinere. Hebræorum alij verba esse vo-
lunt gentium dehortatium Ecclesiam à recto, quod iam
caperat, itinere. Alij Domini inuitantis populum ad e-
gressionem ab exilio. Sullamith vulgò interpretantur
Ierosolymitanam, à Salem, quę est Ierusalem. Existima-
rim potius hoc sponsæ nomen deflexum à Salomone: ut
quemadmodũ sponsus dicitur Salomon tanquam pacifi-
cus, ita sponsa Sullamith, aut, ut in Mar. σαλωμη. q. Salo-
monis uxor & veluti pacifica. Sic ferè videas feminas
dici de cõiugum nomine. Quid spectabitis in Sulla-
mitide. verba sponsæ respondētis sodalibus. Tanquam
chorũ castrorũ. respõdet ipsamet sibi per subiectionẽ.
videbitis me grauitate quadam castrensi, ut nõ sit quod
me curiosius contemmini, & tanquam chorũ Maa-
naim. i. duum castrorũ, qui apparuit Iacobo illic loci, cui
id ex euẽtu nomẽ fuit Genes. 32. eò enim allusum puto.

2 Verba sociarum aut etiam sponsi. Gressus celerita-
tem vocat, quam apostoli & apostolici viri adhibent
in denunciando euangelio. illi enim sunt veluti gressus
seu pedes Ecclesiæ ex Esa. 52. & Eph. 6. Famora au-
tem referũt ad generationẽ, qua multos genuerũt Chri-
sto: & certè Elias in tishbi scribit, *לך* seu femur sumi pro
ea parte hominis, in qua procreandi vis inest.

- 3 Umbilicum ad doctrinam concilij seu synedrij.
- 4 Duo vbera ad duo testamenta, qua velut lac subministrant, suntq; velut gemelli. quia sunt eiusdem authoritatis & ab eodem procedunt.
- 5 Collum designat Christum Abben Ezra. Nostri doctores, qui eminent. Turris autē fit metio, quod Christus vel doctores robur & praesidium praestent Ecclesiae. Naris sagacitatem & iudicium acre, quo Ecclesia pollet. Comparatur turri Libani, quia illa erat speciosissima, illa enim est qua dicitur saltus Libani 3. Reg. 7. qui dicitur spectare Damascum. Piscina Hesbon erant clarissima, vide Iud. 11. & Num. 22. Bath rabbim nomen portae in Hesbon, quod eo multi conuenirent.
- 6 Pellucet & caput & coma Ecclesiae. caput Ecclesiae Christus, coma frequentia populi. Extrema verba huius versiculi ab Hebraeis & Graecis aliter quam nostris intelliguntur. Illi enim distinguunt post **ארגמן** purpura, & qua sequuntur legunt ut Graeci, βασιλεύς δεδεμένος ἐν ποταμοῖς. Rex ligatus in ambulachris seu curriculis, aut ut Hebraei sentiunt, in canalibus, vel trahibus. hoc sensu, Rex, nempe Dominus tanto amore tui capitur ob caput tuum puniceum & comam tuam purpuream, ut cuperet alligatus esse canalibus domus tuae & impluuijs (quod fere nostri poetae de Ioue per impluuium gremiū Danaes subeunte fingunt) ad tui corporis speciem assidue contemplādam. Nam vel illinc lubens formam tuam spectaret. Noster interpres simplicius legit **כארגמן** in regimine absq; distinctione ulla, in hac sententiam. Coma tua seu reticulum tuum, è coma confectum

fectum, est veluti purpura regis alligata canalibus purpurariorum & tinctorum, qua ut tum recentior est, ita & coloratior atq; aspectu pulchrior.

9 Cupij tibi adherere & cooptari in Ecclesiam, si haec sint verba puellarum Sioniarū. Quod si sint verba Domini, Dominus significabit se praesto affuturum Ecclesiae, ac eam ornaturum.

10 Palatum Domini cōparatur vino bono, quod ita ad rectitudines, hoc est, quod rectā vultū ferit & generosē, suamq; praestantiam in cyatho ostentat, ut intelligitur è cap. 23. Prouerbio. Porro, ne putes repente mutatam esse personam, obserua puellas Sionias adductas superiore sponsi commēdatione & descriptione sponsum hīc habere dilecti loco.

11 Tota sum illius ut alteri me copulare nō possim aut debeam. Nam & ipse mei tenetur desiderio.

13 Vineas vocat Ecclesias Domini Esa. 5. Videbim⁹ an Ecclesiae bona opera proferant. Ibi communicabo tecum amores meos. In Ecclesia enim Dominus amoribus mentium potitur. Extra Ecclesiam verò odium Christi est, sed nec ibi reperitur Christus.

14 Odorem Mandragorae, cuius radices humanam speciem referunt, de qua & plurima traduntur apud Calium lib. 9. cap. 49. refer ad bona opera, omnia illa tibi o sponse reseruauī, apud te mea opera deposui, certa quod fidelis sis & iustus index, nō solū mihi, sed etiam 2. Tim. 4. illis qui diligunt aduentum tuum.

COM-

COMMENTARIVS R. SE-
lomonis in 7. cap. Cant.

1 Redi, redi ô Sullamith. *Mihi, ut etiam atq; etiã redeam pedeq; à Domino deferã, aiunt. ô Sullamith ô quæ perfecta es erga eum, redi ad nos & cõtemplabimur te, cõstituem⁹ ex te principes & dominatores fidos, quos, ut alicubi scriptũ est, è populo uniuerso delegeris. Hæc deras seu allegorica interpretatio R. Tanhumã. Glossate alio, Contemplabimur te, attẽdemus ad eam magnitudinem & dignitatem qua te debeamus psequi. Quibus Ecclesia. Quid spectabitis in Sullamithide? quam dignitatem determinabitis mihi, quæ sit meæ magnitudini par, aut vexillis chori copiarum, quæ erant in deserto?*

2 Quã pulchri sunt gressus tui. *In ascensu festorum ô filia principis. Circuitus fæmorũ tuorũ tanquam monilia. conseruatio ornamentorum aureorum vocatur כהם חלי, monile aureũ. al haly lingua arabica. Id doctores nostri exposuerũt de foraminibus fistularũ, quibus libatur, quæq; iam inde factæ sunt à sex diebus orbis conditi rotundæ, ut fæmur. Interpretantur חלום de significatu fodiendi, ut חליות הבור, ambitus cauus putei. Opus manuũ artificis. manuũ Dei opt. Max. hæc in talmud tractatu de tabernaculis. Porro encomiũ quo Israëlis Ecclesia Dominũ celebrabat, è summis ad ima progrediebatur, hoc exordio, Caput eius aurũ obrizum, sensim delabẽs ad crura eius, colũne marmoris, quòd ad voluntatem eius demittatur diuina ipsius*

sus maiestas è summis ad infima. Cõrrã ipse præconium Ecclesię recẽset ab imis ad summa, Quã pulchri sunt gressus tui, nempe pedes, loco & ordine perueniens ad Caput tuũ super te sicut Carmelus, quousq; eam ad se pertraxerit.

3 Umbilicus tuus crater rotũditatis. *umbilicus tuus ut crater aquarum profundarum, in quibus se lauãt, estq; vas confectum è lapidibus marmoreis. Sic etiã lingua Arabica vocatur סהר. Umbiliũ autem, quoniam est veluti foramen rotundum, comparat crateri rotundo. hæc verò laudatio nihil attingit femine pulchritudinem, ut superior. Illa enim superiore dilectus collaudabat eam, cum hæc sit sociarum ipsam ab operibus bonis cõmendantium & dicentium, consentaneum est, ut nobiscum cõiungãre. Allegoria autem re-*

* sedem & tribunal iudicij.

*fertur ad * sedem quadro lapide excisam, quæ in medio terra seu umbilico sita est. Nõ deest mixtio, nõ cõsumitur inde potus, non inde separantur aut defunt vlla doctrinæ verba. Venter tuus aceruus tritici, quo omnes indigent. Septus lilijs, munitus & septus liliorũ sepe. sufficit ei sepes tenuis, nec vllus ex vobis est, qui eam perumpat ingressus causa. Ecce spõsus ingreditur in thalamum, cor eius meditatatur thalamum & præ ardore sponsaliorum suorum ad mundãdam eam accedit. Respõdet Ecclesia, guttam sanguinis, instar sinapi vidi & ecce versit vultum in partem aliam, nec momordit eum serpens neq; scorpio pupugit illum. sanè cum pertransijt viam, conspectis in vertice ficuum primitiuis, retendit manum suam ut ea acciperet, immò verò in-*

S quiunt

quiunt Israëlī, extendit manum suam ad diripiendum.
Ecce septus est lilijs.

4 Duo vbera tua, duæ tabulæ, glossemate alio, Rex
& summus pontifex. Collum tuum, templum & al-
* sedes quã- tare quæ erecta editaq; sunt, item * sedes iudiciaria,
drata. ibi ad robur confecta sunt & clypei loco, sicut turris
eboris.

5 Oculi tui piscine in Hesbon, quæ attrahunt a-
quas, ita oculi tui ad portam Bath rabbim. i. sapientes
tui qui sedent in portis Ierusalem urbis habentis Rab-
bim (multos seu multum populum) & occupantur in
ratione reuolutionum & syderum. Sapientia & eru-
ditio sunt oculi populorum, qui attrahunt, ut piscinae,
aquas. licet præterea ברכה, quod pro piscina accepimus,
exponere columbas, vsu thalmudico, qui accipit, in-
quiunt, columbos nidi, euolare facit primũ ברכה, colũ-
bum, vernaculè couuée.

6 Nasus tuus. אפך vultus tuus, ut turris Libani.
Non possum אפך accipere pro nare siue spectes sensum,
siue allegoriam. quæ enim speciei laus, si habeas narem
magnam & eleuatam turris instar? Itaq; hac voce fa-
ciem intelligo. Idq; quia locutus est numero singulari,
non plurali. Nam de fronte ipse loquitur, quæ præcipua
est vultus inspectio, iuxta illud Esaiæ, inspectio vultus
eorum in illos loquitur. Intelligis enim ut in collaudan-
da ea progrediatur ab imis ad summa. Oculi tui piscine
in Hesbon, deinde frons tua ut turris Libani. à qua etiã
apud Ezechielem gentes commendant eam, frons tua
valida aduersum frontem omnium eorum qui veniunt,

ut

ut depascantur & seducant te. Ut turris Libani quæ
Damascum spectat. hæc est domus saltus Libani (ut
legi in Midras) quam cõstruxit Salomon, à cuius fasti-
gio spectator numerare potest, quot dom' sint Damasci.
Glossemate alio, facies tua spectat faciem Damasci,
contemplans ut porta Ierusalem ad Damascum vsque
exporrigrantur. dilatanda enim est ad vsq; Damascum.

6 Caput tuum super te rãquam Carmelus. hæc
sunt phylacteria quæ ponuntur in capite, de quibus scrip-
tum, & viderunt omnes populi terræ, quod nomen Do-
mini inuocatu sit super te, & à te metuent. Robur itaq;
& terror eorum est veluti rupes motium. Carmelus au-
tem significat montium fastigium. Et coma capitis
tui. רלח. cinnatio capillorum Nazareorũ tuorum,
iuxta præscriptum suum aque pulchra est, atq; purpuræ
complicatio. sic autem appellatur, quia implicatio in ca-
pitis sublimitate tenuis est admodum. Rex alligatus
canalibus. Heb. ברהמים. nomen Dei alligatu est cin-
cinnis, quia scriptum est, corona Dei sui in capite eius.
רהמים enim vernaculè significat les creins, sic vocant
pilos baltheorũ, quibus ligant cingulos. Expositione alia
Rex alligatus. Deus optimus ligatus est amore, man-
datis & beneplacito quibus coram eo accepti estis.

7 Quàm pulchra es & quàm iucũda. postquam
speciatim attulit commedationem membri cuiusq;, iam
uniuersè omnia cõplectēs, quàm pulchra es, inquit, tota,
quàmq; suavis ut tibi amore adhærescam, quo oblecta-
re sese conuenit.

8 Hæc statura tua similis est palmæ. vidimus

S 2 venu-

Es. 3.

Ezec. 3.

venustatem staturæ tuæ temporibus Nabugdonozoris. omnes enim nationes incutuebant se & procidebant simulachro. tu verò consistebas staturâ erectâ, ut hæc palma. Et mammæ tuæ botris. Daniel, Hananias, Misaël & Azarias, qui tibi aderant vberum loco, ex quibus sugeres, similes erāt botris, qui effundunt potum. Hi enim similiter redundabant lactando & docendo omnes nullum esse * timorem similem vestri. Hactenus collaudarunt eam gentes, deinceps verò sequuntur verba Domini ad exules Israëlitos, qui sunt inter gentes.

* Deum.

9 Dixi ascendam in hanc palmam. glorior apud exercitus celestes de vobis, quod operâ vestra subuehat & sanctus habeat in his inferioribus. sanctificatis enim nomen meum inter gentes. Apprehendam ramos eius. præhendam ego & inhaerescam vobis. sunt autem סננים rami. Et sint quæso vbera tua. nunc confirma verba mea ut non sequare cultum gentium, & boni atq; sapiētes, qui apud te sunt, in fide sua persistāt, & ūs respondeant qui seducere te voluerint, paruosq; tuos doceant.

10 Et palatum tuum sit sicut vinum bonum. mone responsionibus tuis ut sint sicut vinum generosum. Quod it ad dilectum meū ad rectitudines. ut ego vobis respondeam (clamat Ecclesia) testor me in fide mea permansuram, ut incedat palatum meum corâ dilecto meo in dilectione rectitudinis, quæ ex corde est, absque dolo & fraude, sicut vinum generosum. Quod eloqui facit labia dormientium. eo deletantur vel patres in sepulchro & cōsistentur super portione

tione sua. רוכב loqui facit & commouet, vernaculè Promer. præcipua autem verbi huius vis in loquēdo posita est. Responso sequitur.

11 Ego dilecti mei sum, & ipse etiam appetit me.

12 Age dilecte mi, egrediamur rus. verba Ecclesiæ Israëlita, ô dominator mundi ne me eo pacto iudices, quo illos qui habitant in arcibus, in quibus inest rapina & incestus, sed quo habitatores pagorū, qui operâ suâ vitium tolerāt, quiq; occupātur in lege, propter afflictiones. Pernoctemus in pagis. Heb. בכפרים hoc est, si nominis allusionem spectes בכפרים, cum negatoribus & atheis, hoc sensu, age monstrem tibi quæso filios Esaii, quibus abunde suppeditasti bona, & tamen te tuamq; providentiam negant.

13 Mane surgemus ad vineas. Ecclesias & academias. Videbimus an floruerit vinea. qui versati sunt in scriptura. Aperta sit gemma. aperitur gemma cum flos excidit & uua internoſcuntur. Huic comparat eos, qui versantur in Misna seu contextu talmudico, à quibus in doctrina legis utilitatem capere proximum est. Floruerint mali punicæ, הניצו effloruerint, cum mala punica perfecta sunt & flos, quem circum se habent, cadit, efflorēt. i. florem amittunt. His comparat doctores talmudicos, qui sapientia sunt absoluta & ingenio ad docendum instructissimo. Ibi dabo amores meos. Ibi tibi ostendam gloriam meam & magnitudinem, honorem filiorum meorum filiarumq;.

14 Mandragoræ dederunt odorem. רוראים significat & sportam, sporta ficuum bonarum & malarum

Ier. 23.

* in promptu

spirarunt odorem, in quam sententiam dictū est. Ostendit mihi Dominus & ecce duæ דוראי sportæ ficuum & c. Sporta una bonarum, & c. sporta altera ficuum noxiarū admodum, quæ non comeduntur, quales sunt prauaricatorum Israhēlis. Iam ambo dederūt odorem. uterq; enim querit faciem tuā. Et in portis nostris omnes fructuum deliciae. * In manibus nostris est merces mandatorum complurium. Nouæ, etiam veteres, renouarunt enim scribæ cum veteribus quæ ad me scripseras. Recondidi tibi. nomini & cultui tuo recondidi ea apud me, aut glossemate alio, recondidi, ut tibi ostenderem me ea impleuisse.

COMMENTARII R. ABBEN
Ezræ In 7. cap. Cant.

Ier. 31.

- 1 O Sullamith. ô tu quæ es è Salem, hinc est Ierusalem, cuius notatio est, si interpretēris, timete Salem. Tanquam chorum castrorum. וחולת סחולת significat chorum, ut, tympanum & fistula וחולת סחולת, & chorus.
- 2 Circuitus fæmorum eius. Hebrai חמוקי dicunt significare locum in quo fæmur vertitur, & sic exponūt illud Ieremię תחמקין vertes te, & supra, חמק verterat se, trāsierat. Tāquā monilia. חלאים plurale est à sing. חלם, & monile aureum. quale est צבאים capræ, à singulari צבי. Artificis. ita enim accipi debet אמן. quæ significatio nota est.
- 3 Umbilicus tuus. שררד significat umbilicum, ut medicina erit לשרד umbilico tuo. Crater. אגון. אגון rotundi genus, ut & posuit באגנות, In crateris. Rotundita-

ditatis. In Chaldaea interpretatione סורר, quæ vox hic reperitur, lunam significat. & sic השחרונים in Esaia¹⁵ 3. sunt specula ad lunæ similitudinem, atq; etiam ita vocatur apud Ismaëlitas. Mixtio. מונ mixtionem significat, ut constat ex lingua doctorū nostrorū, ut, מונ miscuit vinum suum. alij exponunt ex loci exigētia, ut paulò post explicaturus sum. Nam alibi in scriptura ei simile non reperitur. Septa, סונה ut in scriptis doctorum nostrorum סייג sepes.

6 Sicut Carmelus. carmelus quibusdam est mons in scriptura celebratus. sed illi falluntur, significat enim colorem quendā, ut in libris Paralip. ubi scriptū est, & carmel cum purpura. In canalibus. רהטים canales significat, ut in Genesi ברהטים in canalibus, in aque ductibus, ita appellantur loca, quæ eo facta sunt ut illic aquæ confluant. Et coma. רלח lingua Ismaëlica sonat extremitatem capilli.

9 Ramos eius. si esses illi similis. sunt autem סנסנים rami summi, in quibus est fructus.

10 In rectitudines. epithetum vini, ut ambulat in rectitudinibus. i. generosè. loqui faciens. רובב de significatu locutionis, atq; inde forte רבה oblocutio, de-^{In Prover-}tractio. ^{bij.}

11 Appetitio eius. השוקתו, ut in Genesi, & ad virum tuum השוקתך appetitus tuus.

13 Amores meos. דורי amores meos, aut ut alijs placet, saluam linguam meam.

14 Mandragoræ stirps, in speciem formæ humanae.

Inter-

CANTICVM
INTERPRETATIO ALTE-
ra, nempe Dramatica.

Sup. cap.

10 Qui videt me, inquit sponsa, miratur & aiunt, que est hac, que spectatur ut aurora. Quibus respondi me ad hortu nucis descendisse, deinde nesciuisse, cuius loci sententia est hac, miror ut non senserim neq; perceperim me ad te quam celeriter peruenisse, ut quadrigas Hammi nadib, maximi scilicet, qui sit in populo meo, omnib⁹ qui cõtemplabantur, ad me conclamantibus, redi, redi, inquam, o Sullamith. Quibus ego, Quid spectabitis in Sullamithide, ut vos omnes exire oportuerit ad eam contemplandam non secus atq; certatim aut cum pompa due acies exeunt in occursum regis sui.

2 Circuitus fæmorum tuorum. Indicat Salomon fæmora sponsæ superinduta fuisse varijs monilium generibus.

3 Umbilicus tuus. verti mea quidem sententia debet per defectiõem præpositionis, in umbilico tuo, ut hac sit constructio, Baltheus est in umbilico eius, cingulus in lumbis eius, in quo inest species lunæ. ubi autem comparauit eam cum luna, quatenus plena est, diuersitatem subiicit, tuæ huius lunæ lumen nunquam deficit, ut lux lunæ postquam perfecta est, extinguitur. Venter tuus aceruus tritici. foris enim apparet tanquam aceruus tritici, infernè crassus, supernè tenuis. Septus lilijs. aceruus iste non conspicitur, quod lilia sint in circuitu eius.

5 Naris tua ut turtis Libani. turtis illa æqualis erat

erat absq; obliquitate. Caput tuum super te sicut Carmelus. sicut color nomine Carmel, nẽpe puniceus, & ut purpureus color est in ipsa nari. Rex alligatus canalibus. comparat capillos, quorum alter alteri subest, aquis canalium. Rex autem est caput, aut significatur, regem cupere vinciri & ligari funibus capillitij eius. hanc expositionem recensent principes Cedar qui amatoris indulgent.

6 Quam pulchra es. in orbe nihil est suauius, pulchrius atq; dulcius desiderio & amore. 8 Hęc statura tua similis palmę et botris. Botri sunt racemi vineę, que unà cum palma arbore sursum sublata est. Quæ sequuntur, 9 Ascendã in hãc palmam, & prehendam ramos eius, verba sunt illorum qui cupiditate anguntur eius potiundæ, prehensis uberibus eius & olfacta eius nare, que odorem pomj spirat.

10 Et palatum tuũ, salina quæ sub lingua tua est, Pro. 23. similis est vino, quod rectã ambulat, & ad loquendum impellit dormientem. Usq; ad eò animum exhilarat & cor excitat. 11 His respondi, inquit puella, Ego sum dilecti mei. solius, non vestra o qui mei cupiditate ducimini. Et ad me desiderũ eius, ut exequatur voluntatem suam.

12 Sed nunc age Dilecte mi egrediamur rus per noctemus in villis. In vna aliqua villa, nec adeamus vrbes, ubi verò terris orta fuerit aurora, 13 Mane surgemus & in loco, quem suauitate odoris fragrantẽ comperiemus Dabo amores meos. quam phrasim usurpat Ieremias etsi contrariam in sententiã, dedi amorem

Quem suauitatem esse
neolentem esse
par est.

1 Cr. 12.

T ani-

anima mea. 14 Mandragoræ dederunt odorem, ac in portis nostris omnes fructuum deliciæ, adiectus oris ad os. Concupiui, inquit Ecclesia, palam & aperte osculari os tuum, neq; vereor, ut proinde in hominum oculis sim despiciatui, unde subiicit. Quis dabit te vt fratrem mihi.

Allegoria.

- 1 Redi, Redi. hoc de vëturis tēporibus dicitur, cū Dominus reducet captiuitatem Sion. Quid spectabitis in Sullamitide: huic loco quadrat, quod concionatur Esaias, montes & colles efferēt ante vos iubilationē.
- 2 Quàm pulchri sunt gressus tui, ascendent enim Israëlita ex omnibus locis, dicente scriptura, quænam ista sunt, quæ ut nubes volant. Umbilicus tuus. * senatus maior, ut dimidium areæ rotundę. Venter tuus, * senatus minor.
- 3 Duo vbera tua, duæ leges: Collum tuum, rex Christus.
- 4 Oculi tui, propheta, qui initio erāt in Hesbon. i. certo numero, iam erunt plurimi, ut prædixit Ioël, postea effundam spiritum in omnem carnem & vaticinabuntur. Naris tua sacerdos maximus, iuxta illud, ponent incensum in nari tua.
- 5 Caput tuum super te sicut Carmelus. hic est * Nehemias filius Vzielis de filijs Iosephi. Et coma capitis tui. is est Elias. Rex alligatus canalibus. Christus, qui est ligatus, quemadmodum traditum reliquerunt maiores nostri, qui quo die diruta est Ierusalem, natus

natus sit.

- 7 Quàm pulchra es. restituetur enim Ecclesia Israëlita ad pristinam suam magnitudinem.
- 8 Hæc statura tua similis est palmæ. significat vniuersum populum Ecclesiæ iustum fore, & scribitur, iustus vt palma florebit.
- 9 Et odor naris tuæ, sacerdos summus qui sacrificat holocausta & adolet. 10 Palatum tuum, cantica.
- 11 Ego dilecti mei, pars enim Domini populus eius.
- 12 Age dilecte mi, ubi inspexeris vineas, hoc est, Israëlitas, contemplaberis an vitis floruerit. Hinc exscripserunt sapientes nostri, quæ sequuntur, verba. Si Israëlita egerint pœnitentiam redempti sunt. Sin minus, illis imponitur rex, cuius decreta sint veluti decreta * Haman & redimentur. Vides vt Mandragoræ dederint odorem, coniunctiq; sint hi sancti noui cum sanctis patrum veterum, uti significatur fructuum delicijs nouis & veteribus.

* De hoc in Ester.

COMMENT. R. INNOMINATI.

- 1 Dixerunt autem mihi, qui me spectabant, Reuertere, reuertere Sullamitis, id est, filia Ierusalem. Hierusalem enim quondam dicebatur Salem. Inde ergo Sallomoniam, siue Sullamith appellatur. Et intuebimur te. spectabimus speciem & elegantiam tuam. Respondi vero, Quid videbitis. q. d. quam pulchritudinem poteritis in me conspiciere nunc, quemadmodum cōspiciebatis in chorea castrorū. Eram enim ornata in medijs castrorum virginalium choreis, & ibi videbatis meam

T 2 pul-

pulchritudinem. Nūc verò occupata sum eundo. Quid igitur pulchritudinis poteritis in me contemplari?

2 Ipsi autē responderunt, Quàm pulchri sunt gressus tui, hanc formositatem in te cernimus, Gressus tui in calceis, pedes tui formosi sunt in calceis tuis. Incipit autem eam celebrare à pedibus. Iuncturæ fæmorum tuorū חסיקי latebræ fæmorum tuorū. Sicut monilia. חלאים genera sunt gemmarum.

3 Umbilicus tuus. Umbilicus tuus similis est crateri argenteo rotundo, pleno vini rubicundi, quod est dilutū aquis. וישם באננות, ut Tor-natilis סהר rotundus, quemadmodum luna. Chaldaea paraphrasis lunā appellat סהרא. Nō deficit mixtio è patera, sed perpetuò plena est vino mixto, tūmque valde apparet elegans. Aceruus tritici, qui latus est infernè, angustatur autem vertice, estq; aceruus ille septus lilijs.

4 Sicut turris eburnea. שן os est elephātinum. Oculi tui sicut piscinæ, sicut fontes aquarum, qui erant in Hesebon iuxta portam filiæ multitudinis. Hesebon locus est certus. Quia autem fontes habebat insignes, qui & celebrabantur ob pulchritudinem, proinde illis cōparantur oculi sponsæ. Nasus tuus sicut turris. Nasus tuus erectus est aequaliter & directè sicut turris Libani. Ipse enim Libanus prospectat superficiem Damasci. Hac autem turris illa tempestate nota erat.

5 Sicut Carmelus, sicut mons Carmelus, qui est montiū pulcherrimus. Et comæ capitis tui. רלת sunt pili tennes & subtiles, qui deorsum decumbunt.

Rex

Rex alligatus canalibus, רחמים trabes significat, ut sup. primo cap. trabes nostræ abiegna, iuxta quam significationem sententia est hæc. Et tiam rex cupit alligari & astringi trabibus domus tuæ, ut assidue contempletur pulchritudinē tuam. Sic interpretatur R. Dauid kimhi. Præterea licet sumere in significatione loci Geneleos, ברחמים in canalibus, in aquæ ductu. Atq; ita vocabulum hic declarabit tubos, qui extant in ædibus, ut aquas pluuias extrorsum mittant. In illis autem canalibus cupit rex vinciri atq; ligari, ut prospiciat speciem ipsius.

6 Quàm pulchra & quàm dulcis. Hactenus dilecta dilecto exposuit, quæ & qualia sibi dixissent, qui occurrerant, ubi ipsam fuissent contemplati. Nunc dilectus ei respondet & ait. Quàm pulchra es & quàm suavis ô dilectio, dum unà fruimur delitijs.

7 Et Vbera tua similia sunt duobus botris palmarū.

8 Fructus eius. סנסנוו ramos eius. Et sint vbera tua duo mihi similia duobus botris vineæ.

9 Et palatum tuum fragrat, sicut vinū optimū tendens recta ad dilectum meū, sic palatum tuum ascendit ad dilectionem meam, & eripit mihi mentem, velut vinum generosum. in illum enim, qui illud potat, recta incedit. Loquens palatum tuum, labia dormientium. רוכב loquens.

10 Ego dilecto meo. respondet dilecta dilecto.

11 Veni & exeamus in agrū & pernoctabimus in villis, in loco ubi non est hominum turba & multitudo, prope scilicet vineas, ut possimus mane surgere &

T 3 deam-


Gen. 33

deambulare in vineis, ut letemur quo voluerimus tempore.

13 Mandragoras videbimus, nū odorem dederint. Dilecte mi seruavi tibi? amorem meum non reuelavi alteri proco, sed recondidi & pudicum seruavi tibi.

CAPVT OCTAVVM

& postremum.

1  *Ponsa* Quis det te tāquam fratrem mihi, fugentem vbera matris meæ, inuenirem te foris, oscularer te nec tamen (propterea) despicerer.

2 Ducerem te, inducerem te in domum matris meæ (quæ) ^a doceret me, propinarem tibi de vino ^b pigmentato, de musto malogranati mei.

^a Doceres me, alijs.

^b Aromatico.

3 Leua eius sub capite meo & dextra eius complectitur me.

4 A diuro vos filiæ Ierusalem, quid excitabitis

^c Spōsum meū.

^d Deliciās vel adharescens.

& quid expergefaceris ^e amorem, donec velit?

5 *Puella*. Quæ est hæc ascendens è deserto, ^d in-nixa dilecto suo. *sponsa*. sub pomo excitavi te, ibi

^e Dolores de te sensit.

enixa est te mater tua, Ibi enixa est (quæ) genuit te.

^f Annulum signatorium in corde tuo.

6 Pone me tanquam ^f signaculum super cor tuum, tanquam signaculum super brachium tuum. Nam validus, tāquam mors, amor, durus est, tanquam sepulchrum, Zelus, carbones eius carbones ignis flammæ ^g Domini.

^g pręgrandis.

7 Aquæ multæ non possunt extinguere amorem

rem, nec flumina obruent eum. Si dederit quis omnes opes domus suę pro hoc amore, contemnendo contemnetur.

8 *Sponsus*. Soror est nobis parua, & mammæ ei nō sunt: quid faciemus sorori nostræ in die quo sermo fiet de ^h ea, si murus est, ædificabimus super eam ⁱ palatium argenteum.

^h Elocāda sup. & tradenda nuptui. ⁱ Arcem.

9 Quod si ianua est, arctabimus super eam tabulam cedrinam.

10 *Sponsa*. Ego sum murus, & mammæ meæ tanquam turres, tum fui in oculis eius tanquam inueniens pacem.

11 Vineam fuit Salomoni in Baal hamon, dedit vineam suam custodibus, quibusq; affert pro fructu eius mille argenteos.

12 Vineam meam, quæ mihi (commissa est) coram me (est). mille tibi ô Salomon & ducenta custodientibus fructum eius.

13 *Sponsus*. ô quæ habitas in hortis, socij attendunt ad vocem tuam, audire fac me.

14 ^l Fuge dilecte mi a similans tete capreolo aut himnulo ceruorum, super montes aromatū.

^l Decurre aut propera.

Interpretis obseruationes.

1 *Formula optādi Hebraica, utinam, esses mihi tanquam frater quem possem ubique & quouis tempore deosculari. Quāuis enim te in propatulo oscularer, etiā si id fiat præter consuetudinem & decorum, non me tamen puderet. Nostri putant esse votum veteris Ecclesie,*

sic,

sia optantis aduentum Christi, per matrem intelligentes totam synagogam. Possit referri ad totam Ecclesiam optantem summam cum Christo coniunctionem.

2 Ducerem te ad meos & eos hortarer ad te digne excipiendum, quin etiam mater mea uniuersalis Ecclesia doceret me qua ratione esses à me excipiendus, quãq; lautè tractandus. R. Selomo, Chaldeus: & noster interpretès absq; ulla relativi defectiōe in secūda persona vertunt, doceres me quibus scilicet artibus sis conciliandus. *vinum pigmentatum* vinum autem pigmentatum seu aromaticum, quod Latinis myrrhina, Græcis αρωματὴς, odore conditum erat, conficiebaturq; unguentis & odoramentis, lege Plinii Nat. Hist. lib. 14. cap. 17.

3 Hunc versum enunciatiuè vertimus, quia supra cap. 2. ubi occurrit cum iisdem accentibus & verbis, ita omnino accipiendus erat. Alij intelligunt optatiuè, læua eius supponeretur capiti meo & dextra eius oscularetur me.

4 Iam tertio adiurantur omnes, ne inturbent coniunctionem & quietem Christi cum Ecclesia. Noster interpretès existimauit per amorem intelligi dilectam seu sponsam, at qui hæc Ecclesia ait de sponso.

5 Gentes mirantur speciem Ecclesie ascendentiẽ de deserto ignorantie, &c. ad Christum, eoq; iam connixa. porro noster interpretès סתרפקת vertit delicijs affluens innixa super dilecto suo: ut exprimeret utrumq; significatum, quem de hoc verbo tradunt Hebræi, quorum alij exponunt pro deliciante, alij adhaerente & socia. Hæc autem versiculi prior pars est veluti interiecta per

pa-

parêthesim, in sequētibus enim sponsa verba sua recipit & cōtinuat. Sub pomo, sub qua confederamus, ô sponse, excitauit te ad amorem mei. Ita loquitur, quia pomus consecrata est amatorijs, ac in bucolicis seu pastoritijs amoribus huius fit mētio: aut, ut quibusdam nostrorum placet, agnoscit culpam qua Christum è somno excitauit sub pomo, in paradiso voluptatis. Excitauit te, inquit, è dulci somno & quiete diuinitatis tuæ, ut has mortalis humanaq; vitæ subires misérias. Statim enim Heua mater viuentium omnium (inde enim nomen accepit) promissionem consequuta est de futuro semine, Christo Domino. Gen. 3.

6 Effice ut tibi in corde & brachio tuo sim, nempe in promptu sigilli loco, sic in fine Aggei, accipiam te ô Zorobabel & ponam te tãquam signaculũ seu annulum signatoriũ. i. te habebò charissimũ, cōiunctissimũ, mihi eris semper in procinctu & conspectu. Nam zelus, quo ardeo, est validior sepulchro, studiũ tui vindicandi, aut ut alijs placet, inuidia aduersariorũ, qui me persequuntur, ardentissima est. Malim אהבה amorem & קנאה zelum idem valere, ac significare singularem affectum, quem vocamus zelotypiam in coniugibus.

7 Si quis dederit omnes opes siue hereditarias, siue labore & industria partas pro hoc amore, ut hunc amorem à me obtineat mihiq; eripiat, is contemnetur. hoc enim perperam & incassum tentauerit. Hoc ait ut doceat Deum huiusce amoris authorem esse, non externam aliquam causam.

8 Per hæc sororculam Hebræi intelligunt synagogam

V in-

ineuntem, cuius initia tenuia admodum fuere, ut habes Ezech. 16. quæ & mammis carebat, quia non abundabat sapientibus, qui alios docerent. Noſtri quia putant eſſe verba ſponſi, (quod eſt omnium veriſſimum) ſuos angelos alloquentis, per ſororem hanc parvam accipiunt gentes, quibus nulla mamma, id eſt, teſtamentum, atq; ita conſultare Dominum quid huic facturum ſit. ſi Hebræos ſequimur, quæ hîc dicuntur accommodabimus etiam ad noſtram Eccleſiam ineuntem, cuius & tenuia fuere principia.

9 Reſpondet Dominus ad ſuperiorum deliberationem, ſi murus eſt, &c. ſi perſtat in fide quam ſuſcepit eam magis ac magis ornabimus atque muniemus, quin etiam aditum eius tabulis cedrinis nūquam putreſcentibus ſtabiliemus. Nam etiam hæc in bonum explicari debent, non in malum ut R. Selomo cenſuit. Alij malunt eſſe verba gentium.

1. Cor. 3.

10 Ego gratia & doctrina, quam mecum communicavit ſponſus, facta ſum murus, cui facile ſuperſtruas aurum, argētum, lapides preciosos, mammæ etiam habeo quæ lac ſitientibus miniſtrent. tūmq; euafi veluti amica quæ amico mirum in modum placet.

11. 12 Sponſa commēdat amorem ſuum cōparatione. Tibi fuerit vinea ô Salomon & eam locaueris agricolis, ut inde decem mille argenteos recipias, at vinea mea coram me eſt, non eam alteri ſum cōmiſſura, ipſa eam curabo, fructū longè ampliōrē inde ſperans. Hebræi tamen, item & noſtri cōſtanter per Salomonem etiam ad literam hîc Chriſtum ſignificari tradunt. atq; ut ſu-
præ

præ, montes Bather, ita & hîc Baal hamon ſimiliâque conficta eſſe per quandem alluſionē. Cuſtodes verò eſſe prophetas, apoſtolos & reliquos, quorum eſt eccleſiam Dei regere. R. Salomon in malum ſumit referens ad quatuor Monarchias.

13 Horti ſunt Eccleſiæ particulares quas Dominus exornat & excolit multis varijsq; donis. ſocij angeli vel propheta, apoſtoli, apoſtolicj; viri. Quamquam nonnullorum ſententiâ ita appellentur pseudopropheta, qui ſe ſimulant ſocios Chriſti cū nihil ſint minus.

14 Tanta celeritate propera ut fugere videâre & recipere te, me tecum unâ trahens, in calum, ubi degunt beati & immortales ſpiritus, vel in Eccleſiâ ſedē, quæ olim quidē fuit Hieroſolymis, hodiè verò ubiq; terrarum, præſertim autem in thronis Apoſtolicis, quorum caput Roma ſanguine B. Apoſtolorum Petri & Pauli dedicata, ut ad ſatiatē præſentia, cōſpectu, amplexu, amoribus deniq; tuis frui valeam. Hîc, quatenus humana cōditio feret, in calo autem, completa abſolutaq; coniunctione, in qua ſempiterna hominis fœlicitas ſcripturis promiſſa maximè exiſtit.

COMMENTARIUS R. SELOMONIS IN 8. CAP. CANT.

1 Quis det te tanquam fratrem mihi. ut venias conſolatum me, quemadmodum Ioseph fratres ſuos, qui Gen. 50. tamen de illo male erant meriti. ſcriptum enim, & conſolatus eſt eos. Inuenirem te foris, oſcularer te. inuenirem vates tuos nomine tuo loquentes, amplecterer

Et oscularer eos, sat sciens me ab illis non habendam despicatui. Dignus enim est amor tuus ut dilecta tua circumbeat ad assequendum * illum.

* Amorem scilicet.

2 In domum matris meae, ad eam sanctuarij. Doceres me ut solitus es facere in tabernaculo conuentus seu faderis. Propinarem tibi è vino pigmentato libamina. E' musto, vino dulci.

3. 4 Sinistra eius sub capite meo. Adiuro vos. Iam Ecclesia Israëlica conuertit suum ad gentes sermonem, etiam si lugeam et plorem, tamen dilectus meus firmiter sustinet manum meam, mihiq; in exilio meo fulcrum est, et proinde adiuro vos, Quid excitabitis & quid expergefaceris. nihil enim proderit vobis.

5 Quae est haec. Deus terq; quaterq; felix & cõfessus eius de Ecclesia Israëlis ita inter se colloquuntur, quoniam est haec, quamq; illustris quae è deserto ascendit tam praestantibus donis praedita: illic euecta est dono legis & praesentia diuinitatis, atq; apparuit dilectio et fauor eius omnibus et etiam nunc in exilio adhaerescit dilecto suo. Innites dilecto suo. סתרה סתרה sociata dilecto suo, profitens se eius sociam & coniugem, nam סתרה hoc significat Ismaëlicè, hinc Raphakta, socia. sub pomo excitauit te. haec ita loquitur petens dilectionem dilecti sui. sub pomo excitauit te, recordare queso ut ad radices montis Sinaï, qui tanquam pomus imminebat capiti meo, excitauerim te. Haec locutio est amantis foeminae quae puella nupsit, quaeq; dilectum excitatum noctu inter dormitandum amplectitur atq; deosculatur. Ibi enixa est te mater tua. Iam diximus Dominum Ecclesiam saepe vo-

care

ca rematris nomine. Ibi facta est tibi matris loco. Enixa est tibi תולדתך de significatu תולדתך, torminum parientis, hoc sensu, obuenerunt tuam causam dolores. Tibi, ex te, ut alibi, filij mei יצאונו exierunt mihi, ex me.

6 Pone me tanquam signaculum. ob ipsum amorem conserua me in corde tuo, ne mei obliuio te capiat, intelligas quam sollicita res sit amor, nec minus, quam mors, uehemens amor, scilicet, ille quo te depereo. apud me est ex aduerso mortis qua ego interimerer * su - * Propter te. Durus tanquam sepulchrum zelus, et * impetus quo amulantur et laceffunt me gentes tuae * Conflictus. causa. etenim קנאה, zelus, ubiq; significat impetum cordis ad ulciscendam iniuriam, en fremir vernacule. Ignis flammæ Dei. Ignis uehementis qui excitatur vi flammæ infernalis. Accentus Zaleph kadol, qui superscribitur vocabulo זלפה. carbones, docet dictionem זלפה, ignis, construi in genitiuo cum שלחבת יהוה, flamma Domini, ut sit sensus, ignis flammæ Domini.

7 Aquæ multæ non possunt extinguere amorem, quia meminerat carbonum, in iisdem persistens iam haec subijcit, Aquæ multæ, populi. Et flumina, Duces eorum atq; Reges, non obruent eum, vi, terrore, blanditijs et persuasionibus. Si dederit quis omnes opes domus suæ. ut cum amore tuo commutet, Contemnendo contemnent eum. usque adeo omnes, Deus et sacer eius senatus, testificantur Ecclesiam Israëlis dilecto suo coniunctam esse.

8 Nunc soror est nobis in inferioribus quae consueta et coniuncta atq; appetens est uersari nobiscum,

V 3

parua

parua autem est, quoniam se infra reliquas omnes gentes deijcit, in quam sententiam legitur. Non ex multitudine vestra, &c. quod se ipsi summittant, מוֹתָם, quam uertunt sororem, est de agnominacione seu paronomasia מוֹתָם. futura rerum lacerarum quæ non sunt assuta. Et mammæ non sunt ei. sensum repete ex hoc loco, uerba* parata sunt, quod dictum est de seruitute ægyptiaca, cum tempus redemptionis appeteret. Ita, Mammæ non sunt ei, hoc est, nondum appetijt tempus annorum eius. Quid faciemus sorori nostræ, In die quo sermo fiet de ea. quo gentes demurmurabunt in eam, cōsiliāq; agitabunt de ea delenda, iuxta illud Exodi, Agite deleamus eos è gente.

9 Si murus est ædificabimus: si fortis est fidee & timore ut aduersum eas sit ueluti murus aheneus quem nemo perrūpat, nempe si affinitatē cum illis non inierit, aut decepta ab illis non fuerit, aut ipsæ inter eam non frequentauerint, ædificabimus super eam palatium argenteum. erimus ei urbis munita loco, coronæ, & pulchritudinis, atq; ædificabimus ei urbē sanctam & templum prætereā eximium. Quod si ianua sit quæ circa cardinē suum uoluitur, quæq; pulsata aperitur, hoc est, si ipsa ita eis pateat ut per eam illæ ingrediantur & ipsa per illas, Arctabimus super eam tabulam cedrinā. ponemus in eius ostio asses ligneos, qui putrescunt, quosq; uermis rodit & vorat. Hic Ecclesia Israël.

10 Ego sum murus, validus amore dilecti mei. Et Mammæ meæ tanquam turres. hæ sunt synagogæ & scholæ quæ lac ad legis uerba Israëlitis suggerunt,

Tunc,

Tunc, cum hæc dixissem, fui tanquam inueniens pacem. tanquam sponsa quæ inuenitur pacifica, quæq; nanciscitur pacem in mariti sui ade.

11 In Baal hamon uinea. hæc est Ecclesia Israëlita, de qua scribitur, uinea Domini sabaoth domus Israël. ^{Es. 5.} In Baal hamon, in Ierusalem quæ est multa populo & hamon, multitudine frequenti. Baal autē significat planitiem, ut, ex Baal Gad. i. planicie Gad in campestribus ^{10f. 11.} Libani. Dedit uineam suam custodibus. commisit potestati durorū dominorum Babylonij, Medi, Græci & Romani. In Midras huius libri comperi nonnullas rationes de his custodibus siue imperijs quatuor. Quisq; affert pro fructu eius. quicquid poterant ab illis exigere census, tributa, uectigalia, omnia extorquebant ut in domos suas afferrent.

12 Uinea mea coram me, die iudicij adducet eos Dominus in ius atq; dicet, Uinea mea, &c. etsi, inquit, dediderim eam in manibus uestris, mea tamen erat, & ad me peruenit quicquid uobis de fructu eius rapuistis, neq; me latuit quod ab ea corrasistis, Ipsis interea respondentibus, Mille tibi Salomon, mille argenteos, quos ab illis capimus, omnes tibi reddimus, Et ducenta custodiētibus fructum eius, & prætereā adiungimus multa è nostro & damus principibus atq; sapientibus illorum, iuxta illud, pro are afferam aurum: de retributionibus uerò discipulorum sapientum scriptū est in Esaia, Corā Domino sedentibus erit negotiatio eius ^{Es. 23.} (Tyri) eamq; tradā. Possumus etiam referre hæc Ductæta, ad ius quod accrescit ex sancto, quo redditur fors

&

Ex ec. 16.

* Aptata.

Exod. 23.

& prætereà quinta eius pars. similiter nos, inquit, rependimus Domino super sancto Israël, primitias proventus eius, sortem & quintam eius partem. Nam ducenta sunt quinta pars millenarij.

13 Quæ habitas in hortis. tu quæ dispersa es, ait Dominus Ecclesie Israelica, in exilio, pascēs alios in hortis & habitans in synagogis atq; gymnasijs, Socij attendunt ad vocem tuam. angeli ministerij socij tui, filij Dei, tui similes attendunt & accedunt ad audiendam vocem tuam in synagogis, Audire fac me & postea sanctificat, ut scriptum est in Iob, dum laudat simul stellæ matutinæ, id est, Israelitæ & personant omnes filij Dei.

14 Fuge dilecte mi ab hoc exilio & ab eorum medio redime nos. Et alsimila tete capreolo, maturans redemptionem & collocans diuinam tuam presentiam super mōtes aromatū. montem Moriam & adem sanctuarij, ut breui in diebus nostris ædificetur. Amen.

COMMENTARIJ R. ABRA-
hami Abben Ezzæ in 8. cap. Cant. Cant.
& primum vocum interpretatio.

2 Doceret me, Heb. חלטרני, verbum feminineum ad matrem. doceret me mater. (alijs tamen masculinum est secundæ personæ, doceres me ô sponse).

5 Innitens. Heb. סתרפקת sociata. non habet simile in scriptura, sed hoc significat Ismaëlica lingua. Enixa est te. Heb. חבל de significatione cōceptus, ut, ecce חבל concipit iniquitatem. non etiam alienum ut significet parere è significatione חבלי, dolorum parturientis.

6 Car-

6 Carbones eius. hoc sonat רשפים ut Iob 5. & filij רשפים, carbonis (nempe scintilla) extulerunt volatum. Flammæ Domini. Hebraicè יהלהבת, quæstio est inter Masorethas, sitne dictio unica, an duæ: probabile est duas esse, adiunctione nominis Dei auxesim significante, ut montes Dei. ש autem vocis יהלהבת essentialis est, ut in Ezechiele, scintilla יהלהבת flammæ. est enim Ezec. 21.

9 Arctabimus super eam. נצור enim accipi debet, ut hoc loco, וצרת & obsidebis eam.

10 Tanquam inueniens. Heb. מוצאת feminini generis, ad normam הוצאת, quæ exit. deducitur autem à מצא & a more suo † occultatur.

11 Baal hamon. nomen loci ubi plurimæ erāt vineæ. porro qui steterit in hac * ædificatione, fortasse mirabitur, quare hic usus sit lingua * Ismaëlica, nempe quoniam tanta est doctrina nostra breuitas, ut è lingua sancta nihil habeamus quàm quod scriptum est in Biblijs, quodq; vates necesse habuerūt dicere. Quo enim non opus habuerunt vel de nomine nobis ignotum est. Quoniã autem lingua Ismaëlica finitima est admodum linguæ sancte (coniuagationes enim, literæ Iehu & seruiles, item niphāl & Hitpael atq; constructio seu syntaxis eodem modo in utraq; habent, ut & elementorū numerus, atq; adeo plusquam mediæ linguæ illius pars, linguæ sanctæ inuenitur simillima) ideò dictiones Biblicæ quibus nullum cōiugatum extat in scriptura, sed in lingua Ismaëlica, inde fortassis suam explicationem mutuari debent. Quamquam hoc caret dubitatione. Hactenus inter-

Deut. 20.

† Quiescit. eam me secus fit in nostris codicibus.

* Compositio-
ne & libro.
* Arabica,

X pre-

pretatio Cantici Canticorum, quatenus difficultas uocum ferebat.

ALTERA INTERPRETATIO
nempe dramatis & literæ.

1 Quis det te tanquã fratrem mihi. ducere te atque introducere in domum matris meae spectatibus omnibus.

2 Doceret me. Ipsa doceret me quo pacto tibi propinare debeam uinum pigmentatum, potionem, quæ magis est pigmentata & condita quam uinum. Malo granati mei, salua quæ sub lingua est, aut sententia erit simpliciter ad literam accipienda. En autem dilectum & puellam simul, & proinde subiicitur.

3 Sinistra eius sub capite meo.

5 Quæ est hæc. hoc sponsa ait dilecto suo, ipsis simul in uinea, quæ dicitur hortus, iacentibus. Vidiisti me o sponse aliquando puellam, quæ ascenderit è deserto ac quæserit iungi cum dilecto suo, quemadmodum ipsa feci, præ uehementia mei erga te amoris. Ideo autem excitauit te, quia commemorabas nomen pomi arboris. est enim mei ueluti similis, & præterea non concepit mater tua, neque de te alibi concaluit, quam sub pomo, ut proinde odor tuus ueluti pomus, quæ est inter arbores syluarum, spiret. ut & dixit initio se expetere & exoptare assidere umbræ eius, atque ut sinistra eius capiti suo supponeretur.

6 Nunc autem dilecte mi Pone me tanquã signaculum in corde tuo. desige me in corde tuo. Quemadmodum adhærescit annulus signatorius digito, sic adhærescere

adhærescere fac me tibi, ut sim in brachio tuo.

7 Contemnendo contemnent eum, sensus est, homines naso eum suspendent.

8 Soror nobis parua. unus è filiis matris meæ, inquit puella, suspectam habuit me, & dixit fratribus suis, nobis soror est, quam præfecerunt custodia vinearum, cum ipsa esset illo tempore paruula. Quid faciemus sorori nostræ. die, quo sermo fiet de illa collocanda.

9 Si murus est, si seruaui pudicitiam & uirgo est, ædificabimus super eam palatium argenteum. Sententia est, ædificium nobile superstruemus muro è materia argentea, ut ille reliquos muros gloria & dignitate superet, hoc est, comparabimus illi monilia aurea, torques sponsa dignos. Quod si ianua est, quæ iam aperta sit, arctabimus super eam, adducemus eam in munitiorem & claudemus eam ne uideatur, antitheticas ad palatium argenteum. nam quicumque uidet super muro palatium argenteum, accedere propius ad illud contemplandum solet.

10 Ego murus & mammæ meæ creuerunt & aptata sunt. sensus est is, etiam si mammæ meæ firmæ sint, sum tamen uirgo. Tum fui in oculis eius, suspectam habentis me, tanquam inueniens pacem. Initio enim exarserat in me, iam uerò nacta sum pacem cum illo. Caterum mirabuntur aliqui & dicent. Quid? si mammæ eius tanquam turres, grandes igitur. Atqui id non est ita accipiendum, uerum ubi ipsa comparata est muro, mammæ eius erunt sicut turres, quæ sunt ad murum exigua magnitudine.

11 Vineam fuit Salomoni. reuertitur sponsa ad laudandum animum suum & vehementiam amoris sui, aitq; Vineam fuit Salomoni, in hanc sententiã. Ecce Salomon Rex vineam suam eò locauit, ut redderent sibi custodes, qui illam conduxerant, pro eius fructu, mille argenteos.

12 At ego non ita me exhibui, quin potius vinea mea coram me est, reuersa autem iocans, Cape, inquit, ô Selomó mille tuos, cum interea custodes, qui cõduxerunt, lucrum ducentorum fecerint. Ego pecuniam nolo, non sortem, non accessionem, sed ut sit vinea mea coram me, ut in ea coniungar cum dilecto meo, quod mihi est quauis pecunia optatius. Excipit dilectus.

13 Cum tu habitas in hortis qui sunt in medio vinea, ne sustollas vocem tuam. siquidem socios habeo qui & ipsi ad vocem tuam attendunt. Nunc verò audire fac me & dicito mihi,

14 Fuge dilecte mi veluti cogitans me cum illis esse, ne me, quòd tecum hic sim, suspectum habeat. uti initio admonuisti, Circui, assimila tete dilecte mi caprea aut ceruorum hinnulo. Atq; hic sit interpretationis secundae finis.

EXPOSITIO TERTIA nempe allegorica.

1 Quis det te tanquam fratrem mihi: quoniam cultores Dei, quiq; madata eius obsequenti simè obseruant sunt in exilio, efflagitant ipsi ut palam iussa Domini exequi possint, atque ut redeat diuina maiestas quem-

quemadmodum initio.

2 De vino pigmentato, hac est vini libatio sinistra eius. holocaustum matutinum & vespertinum. Subijcit autè Salomon spiritu sancto afflatus, A diuro vos, ut non excitetis, quousq; finis aduenerit.

5 Quae est haec ascendens è deserto, cum erant Israëlita in deserto, ait Salomon, & terram ingressi sunt, in primis adiuravi eos, deinde quae est haec ascendens, hoc est, quemadmodum in tuo ab Aegypto exitu olim, ita hodie tibi mira ostendam. cum enim ascendent Israëlita è desertis gentium, Christum, qui est dilectus, ita alloquentur. Scito quòd sub pomo excitauerim te, quòd vincus & dormiens fueris, nec te nisi precibus meis soluerim, iuxta hanc Prouerbiorum sententiam. Mala aurea in figuris argenteis verbum enunciatum iuxta modos suos. verba autem mea atque orationes te veluti genuerunt.

6 Pone me tanquam signaculum, hac sunt verba Ecclesiae Israëlicae ad Diuinam maiestatem, fac adhæream tibi in perpetuum.

7 Aquae multae, gentes quae comparantur aquis, secundum illud, extrahet me ex aquis multis, & iterum, aquae fluminis ingentes. similia multa in scriptura. Si dederit quis, ut Hamã impius, ludibrio erit, quoniã non poterit euertere legem Israëlitis. Dominus ipse custos est legis suae, sicut scriptum est, custodies ea, nempe verba Domini, verba munda. hoc enim refertur ad praecedentem versiculum.

8 Soror nobis paruula. cum copulabitur Ecclesia

* Hæc dicuntur de Iudæis clausis, de quibus Historia cuiusdam El-dadi à nobis versa.
 * Trib⁹ Rubē Gad et dimidiam me-nasus, quas abduxit Tesglat-phalasar. 4. Reg⁹

Israëlica dicet adhuc reliquam esse * sororem ultra flumina Æthiopiæ? aut id pertinebit ad * duas tribus & dimidiam. In die quo sermo fiet de ea. In die consecrationis, hinc illud, loquimini ad voluntatem Ierusalem.

9 Si murus est, si seruauit se nec transgressa est legē, parabimus illi locum & palatia argento plena atque in illius semita deambulabimus. Quod si ianua est, si non seruauit mandata, sed se prostituit omnibus, arctabimus super eam, prohibebimusq; ne ad nos ueniat. Respondet ipsa & ait.

10 Ego murus. legem meam custodiui, tam quæ scriptis consignata est, quàm quæ ore tradita. Mætanquam turre, fuerunt illi (sponso). Tunc erunt omnes Israëlitæ in pace.

* 12. Tribus
 11 Vineam fuit Salomoni. nempe Israëlitæ, quibus omnibus imperauit Salomon. In Baal Hamon, nam totus Hamō * .i. populus illi paruit. ipse uero eò rediit ut vineam traderet custodibus, regibus Israëlis. Mille argentei, decem tribus quæ habuerunt custodes (non reges naturales). Singuli centum argentei singulas tribus indicant.

12 Vineam meam, spiritus sancti numine prædicit Salomon totam hanc vineam, quæ olim fuit, iterum de integro sub suam ditionem uenturam. Mille tibi Salomon, dicitur Christo qui eius est filius & uocatur Salomon. Mille tibi Selomo reddunt, nempe decem tribus. Iuda autem & Benjamin quæ per ducenta intelliguntur, iam cesserunt custodientibus fructum vineæ seu posteris Dauidici generis.

13 Respon-

13 Respondens diuina maiestas, o qua habitas, inquit, in hortis, o Ecclesia Israëlica, quàm expetunt angeli audire Cantica tua? cui Ecclesia, si tibi ita uideatur dilecte mi, Fuge ab angelis & descende Ad montes aromatum, ad mōtes Sionios. Ibi enim Dominus mandauit benedictionem & uitam semper duraturam. Psal. 133.

COMMENT. R. INNOMINATI.

1 Quis mihi det te fratrem meum, utinam fuisses mihi frater, quia osculata fuisset te ubique; mihi occurrisses, neq; despicerent homines me. Solent enim homines despiciere amasiam, quæ palam & publicè amicum osculatur.

2 Ibi me docebit. Mater mea docuisset me, quo modo ostendere deberem tibi amorem meum.

3 Læua eius sub capite meo, nunc in tertia, nunc in secunda persona de dilecto loquitur.

4 Adiuuro vos, alloquitur amica socias. Adiuuro uos ne excitetis amorē, quousq; ipse uelit euigilare per sese. Nam dum recordor amoris, ego animo languo.

5 Quæ est ista quæ ascendit: semel amicus amicam reperiens in deserto, sic eam affatus est. Quænam est ista, quæ ascendit è deserto. Innixa. uox Hebræa pro loci opportunitate exponi debet, innitens siue fruens dilecto suo. Respondet autem dilecto, aitq; Sub arbore pomu inueni te à principio, cum amor noster cepit, Genitrix tua, quæ te peperit. q. d. nescio quod me tibi temperat astrum, in sydere amoris mei genitrix te enixa est & perferens tormina te peperit.

6 Lam-

6 Lampades eius, רשפיה carbones eius. flammæ Dei. q. d. flammæ ingentis & violentæ. Et sic scriptura, dum vult exaggerare sententiam, adiungit dictionem, Dei vocabulo. Hic locus exemplo est. Sic, caligo Dei in Psalmis. Robustus venator corâ Domino, in Genesi, Domine iustitia tua sicut mōtes Dei apud Davidem. Vrbs magna Domino, in Iona.

8 Soror nobis parua. Semel aliquando, inquit dilecta socijs, dixit dilectus socijs suis, Soror una est nobis quæ est paruula. loquebatur autem de me, quæ ipse sum dilecta. Adhuc autem parua est & ubera non habet. Quid faciemus sorori nostræ in die quo sermo fiet cum ea. q. d. Timeo ego ne fortè homines eam decipiant, ut cum creuerit, loquatur ad ipsius * cor & affectum, decipiantq; eam.

* vota, libidinem.

9 Si muro est indigens, ædificemus super eam murum argenteum. Et si ostio ipsa indiget, firmemus super eam tabulam cedrinam, נצור נצור, ut cum נצור נצור, ciuitas munita dicitur.

10 Ego murus, innotuit mihi quod dicebat dilectus meus de me, & respondi illi. Ego murus & ubera mea sicut turres, q. d. magna sum & ecce ubera mea grãdia sunt sicut turres & tamen ego similis sum muro forti & validior quam ut persuadeat ab alijs præter te. Tūmq; fui in oculis ipsius, ubi sic respondiſsem, velut inueniens pacem.

11 Vineam fuit Salomoni. Verba dilecti. Vineam habuit Salomon Rex in Baal Hamon. dedit autem vineam custodibus mercenarijs, ut eam seruarent & comedere-

mederent fructum eius, afferrentq; in mercedem fructus ipsius mille argenteos.

12 Verum nolo ego sic facere, sed vinea mea coram me est, nolo ego seruare eam & edere fructum ipsius. Mille tibi Salomon, Mille argentei, ait dilectus, quos refers à locatione vineæ tuæ, sint tibi. Non mihi placet talis merces. Et ducenti custodibus fructus eius. Qui dederint mihi mercedem pro esu fructus vineæ meæ, sibi illam habeant. Talis locatio mihi non est collibita, ut dem vineam meam alienis.

13 Quæ habitas in hortis. dilectus dilectam affatur, ô dilecta mea, quæ habitas in hortis, cuius vocem socij optant audire, fac audiam vocem tuam, ac ostende mihi amorem tuum.

14 Respondet dilecta, Fuge dilecte mi, nunc super montes aromatum, qui sunt in loco solitario, ac ibi audire faciam te vocem meam & ostendā pulchritudinem meam. Nam locus hic est publicus, in quem multi conueniunt.

Finis Cantici Canticorum & Commentariorum ipsius multiplicium.

Deo laus, honor, gloria.

Y

AD LECTOREM DE
hoc opere Epigramma.

*Quisquis adest Lector diuino captus amore,
Hunc legat, & lecto gaudeat ipse libro.
Namq; illum clarè, posito velamine, cernes,
Quem Salomon miris texerat inuolucris.
Nosse cupis Christū & sponsam quæ vincula nectant?
Hæc velut in speculo pagina sacra refert.
Isacidis quondam tenebrosi limina vatis
Tangere non licuit: (tam citò fallit amor.)
Nunc lege securus, iam nulla pericula subsunt,
Si modò tu scopulos, hoc duce, nosse velis.
Hebræi latices quem non fecere disertum?
Hic autem Hebræis fontibus haurit aquam.
Adde & priscorum flores cum pondere lectos:
Sic (credo) cæptum nil remoratur iter.
Hunc igitur cantum nunc perlege tutus ubique:
Flagrabitq; sacro pectus amore tuum.*

Jacob. Estourneau.

PARISIIS,

EXCVDEBAT MARTINVS IUVENIS,

I 5 7 0.

